SC. SUP. 23. Pl. 4.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO LIBORENSE
32
3 A
4

EPITOME
MANUALIS
MISSIONARIORUM ORIENTALIUM

AB ADMODUM R. P.

F. CAROLO FRANCISCO
A BRENO

*Strict. Obſervantiæ S. P. Franciſci Theol.
Fideique Controverſiarum præ-Lectore
Generali olim Compoſiti;*

Nunc verò in compendium redacti,
& in Quatuor Partes diviſi:

In quarum duabus prioribus Hæreſes omnes Orientalem Eccleſiam turpiter fædantes brevi, ſed clarâ methodo confutantur: In reliquis verò Caſus omnes morales Miſſionarios ipſos Apoſtolicos reſpicientes continentur.

OPUS

Studioſis omnibus valdè utile: At ipſiſmet Miſſionariis prorsùs neceſſarium.

PARS QUARTA

CONTINENS TRACTATUS

*De Dubiis moralibus Virtutes concernentibus.
De Dotibus ad Miſſionarios pertinentibus.*

ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis. MDCCXXXVI.
SUPERIORUM PERMISSU.

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reverendiſſimo P. Mag. S. Palat. Apoſt.

N. Epiſc. Bojanen. Viceſg.

IMPRIMATVR.

Fr. Joannes Benedictus Zuanelli Ord. Prædicat. Sac. Palat. Apoſtolici Magiſter.

CELIT

EPITOME MANUALIS MISSIONARIORUM ORIENTALIUM

PARS QUARTA.

AD exercendas, uti oportet, Apoſtolicas Miſſiones, optimam non minus in agibilibus, quàm in credendis doctrinam tradere, neceſſe eſt. Quoniam igitur de iis, quæ credenda reſpiciunt, ſufficenter in tribus prioribus Partibus locuti ſumus: reſtat nunc ut in hac ultima Parte duobus Tractatibus comprehenſa ea tradamus, quæ agibilia ſpectant, ut illis difficultatibus Sac. Miſſionarii occurrere queant, quibus Orientalis Eccleſiæ Fideles concuti ſolent. Et cum iiſdem congruè occurri nequaquam poſſit, niſi Miniſtri Evangelici ad munus hoc recte obeundum apti eligantur: idcirco quales eoſdem eſſe oporteat, & quibus Dotibus eſſe ornatos, quôque pacto in iiſdem Miſſionibus peragendis, atque conſervandis, agere eos neceſſe ſit, pro Coronide Operis in ultimo Tractatu docebimus.

TRACTATUS XI.

De Dubiis moralibus Theologicas, aliaſque Virtutes concernentibus.

1. INnumeræ, ſunt difficultates, quæ in exercitio hujuſmodi Virtutum occurrunt; hic nonnullas ex præcipuis enodabimus, quæ in Miſſionibus potiſſime contingunt, relictis iis, quæ non adeo ad rem facere videntur.

CAPUT PRIMUM.

De Fide, ejuſque Confeſſione.

2. QUoniam Fideles plerique in Regnis Infidelium, aut Hæreticorum, vel Schiſmaticorum vitam ſuam tranſigunt, Miſſionarii verò Apoſtolici inibi degunt, munere ſuo fungentes; oriuntur propterea ſæpe dubia, quo pacto Fidei Divinæ aut eliciendæ, aut exterius confitendæ præceptum obſtringat, ejuſdemque violatæ Rei cenſeri debeant. Horum nonnulla in Capite hoc, quantum Deus dederit, reſolvemus.

QUÆSTIO I.

An Apoſtatæ ad Fidem reduces teneantur Fidem, quam abnegarunt, coram Infidelibus confiteri?

3. REſp. breviter, non teneri, ſed ſufficere, ſi id faciant explicitè coram Fidelibus;

libus ; implicitè verò coràm Infidelibus , habitum deponendo , & abſtinendo ab actibus Infidelitatis.

4. Oſtenditur autem ex deciſione PP. Theologorum , quos Sac. Congreg. de Propag. Fide deputavit ad dubia reſolvenda P. Franciſci Longobardi Ord. Minor. Tuneti Apoſtolici Miſſionarii , ad primum ; inquit enim : *Sacra Congregatio cenſuit , Apoſtatas à Fide redeuntes ad pœnitentiam debere abjurare Apoſtaſiam coram Fidelibus captivis , quibus dederunt ſcandalum, in propriis carceribus publicè , & explicitè . At coram Infidelibus non videtur hoc neceſſarium , ſed ſufficit coram ipſis , ut abſtineant ab actibus Infidelitatis , deponentes habitum proteſtativum falſæ Religionis , & curent, ut ſucceſſu temporis cognoſcant etiam Infideles, vel ab ipſiſmet, vel ab aliis eorumAbjurationem, licet cum periculo vitæ.*

5. Idipſum cenſuit Sac. Congr. Univerſal. Inquiſitionis coram Urbano VIII. 18. Julii 1630. celebrata ad dubia præfata P. Longobardi à Sac. Congreg. Propag. Fidei tranſmiſſa, ad primum , & ſecundum .

6. Ratio autem eſſe poteſt ; quia Apoſtatæ converſi debent ſcandalum tollere , quod dederunt : at huic ſufficienter occurritur quoad Fideles , Fidem explicitè confitendo in balneo: apud Infideles verò notitiam progreſſu temporis tranſmittendo etiam cum periculo vitæ ; ergo non tenentur tunc coram Infidelibus Fidem confiteri , in cujus utilitatem Abjuratio illa minimè redundaret , cum Infideles exaſperarentur , non ædificarentur , & Fides ipſa apud puſillos non parum periculi pateretur .

7. Nec ſequitur , Apoſtatas illos Chriſtum erubeſcere : non enim Fidei publicam Confeſſionem omittunt , quia Chriſtum confiteri erubeſcant ,

beſcant, ſed quia propriam timent infirmitatem, & incommoda potiùs ex illa, in Catholicam Religionem orirentur, quam utilitas aliqua redundaret.

QUÆSTIO II.

An Apoſtatis pœnitentibus Infidelium Veſtibus uti liceat?

8. RESP. Poſſe Apoſtatas pœnitentes uti Veſtibus Infidelium diſcretivis quidem Nationis, non Religionis.

9. Oſtenditur ex Decreto præfatæ Sac. Congreg. ad ſecundum, quo reſponſum eſt: *Sacra Congregatio cenſuit, reverſos ad Fidem tutâ Conſcientiâ omnem habitum deferre poſſe indiſtinctè Nationis diſtinctivum, dummodò non ſit proteſtativus falſæ Religionis, donec tranſeant ad Fideles Partes Chriſtianorum.*

10. Ratio quoque ſuffragatur: quia Veſtes illæ non ſunt ex ſe natæ Religionem proteſtari, aut diſtinguere, cum poſſint ſtare cum falſa, & cum vera Religione, uti contingeret, ſi Nationes Infideles ad veram converterentur Religionem; ergo uſus illarum ex ſe non eſt illicitus; adeoque poſſunt Apoſtatæ pœnitentes illas retinere, cum non teneantur converſionem ſuam ad Fidem Orthodoxam cum ſui diſcrimine, nullaque Religionis Catholicæ utilitate aperire.

11. Nec ſequitur, deferentem Veſtes alicujus Nationis ejuſdem Religionem proteſtari; illud enim Veſtium genus in ea Natione antiquiſſimum non adhibetur, ut Religionem ſignificet, ſed quia ſibi proprium fecit. Unde delatio illius non proteſtationem ejuſdem Religionis infert, ſed occultationem propriæ.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An Apoſtatæ pœnitentes in extremis degentes poſſint coram ſolo Miſſionario Sectam falſam abjicere, & Catholicam confiteri Religionem?

12. RESp. poſſe: Habemus hoc ex Decreto præfatæ Cong. ad Tertium P. Longobardi, ita ſe habente: *Confeſſarius ſecretò accerſitus, ſecretò abſolvat Apoſtatas in articulo mortis conſtitutos, ſi pœniteant, & præter Apoſtaſiam coram ſe abjuratam ſecretò, & conſtantem animi præparationem abjurandi publicè, & explicitè, nihil aliud exigat, ſi ſuperſtites fuerint. Si verò deceſſerint, curet agnoſci tam ab Infidelibus, quam a Fidelibus abjurationem. Actus autem falſæ Religionis nec elicere poſſunt, nec oſtendere; & licet non poſſint malos ſuaſores expellere, ſufficit interiùs eorum ſuaſionibus non conſentire.*

13. Idipſum declaravit Sac. Congreg. Univerſal. Inquiſit. Romanę 1630. 25. Junii Feria 5. reſolutionem Theologorum à Sac. Congreg. de Propag. Fide Deputatorum confirmans ad Tertium.

14. Ratio eſſe poteſt. Quia, ſtante prompta, & firma Animi præparatione Apoſtaſiam publicè, & explicitè retractandi, dici nequeunt hujuſmodi Pœnitentes Chriſtum in morte erubeſcere, quem, ut in ſe eſt, parati ſunt etiam cum vitæ diſcrimine confiteri; ergo cum ex publica Confeſſione multa timeantur incommoda, ſive ex parte Fidelium, ſive Infidelium; nulla verò, vel modica ſperetur utilitas, non tenentur hujuſmodi Pœnitentes ad converſionem ſuam eo tempore publicè promulgandam.

15. Neque ſequitur, tunc eos Chriſtum erubeſcere, cum magis deberent ipſius Fidem proteſtari: hoc enim non ex ipſorum defectu provenit voluntatis, ſed quia non cenſetur tunc expedire ſive ex parte Fidelium, ſive Infidelium.

QUÆSTIO IV.

An liceat Fidelibus ſigna lætitiæ exhibere ob Victoriam à Principe Infideli, cui ſubduntur, adversùs Chriſtianos obtentam?

16. Reſp. licere, ſi bellum Religionem minimè reſpiciat, ſed politica tantum motiva. Ratio eſt; quia lætitia illa exteriùs manifeſtata non cadit ſuper Victoriam Religionis falſæ ſuper veram, ſed Principis Ethnici ſuper Chriſtianum, cum quo de re politicà dimicat, qui juſto motivo poteſt interdum impelli; ergo ſubditus, qui ob Victoriam ſui Principis Ethnici ſuper Chriſtianos ſigna præbet lætitiæ, non peccat adversùs Fidei Confeſſionem, cum pro objecto habeat proſperitatem politicam Principis ſecundum ſe ſpectati, non autem falſæ Religionis. Secus eſſet, ſi motivum belli eſſet Religio ſaltem indirectè; tunc enim expreſſione illa lætitiæ ſaltem indirectè falſam proteſtaretur Religionem.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An Fideles in Oriente Franci *appellati poſſint ſe tales denegare à Publica Poteſtate interrogati?*

17. Reſp. breviter: quod ſi nomen *Francus*, quo titulo Chriſtiani apud Orientales communiter nuncupantur, ſignificet præcisè Profeſſorem Chriſtianæ Religionis, non verò Nationem, & hoc pacto communiter accipiatur, tunc peccaret, qui reſponderet, ſe non eſſe *Francum*; negaret quippè coram publica Poteſtate ſe eſſe Chriſtianum, quod ſanè adverſatur publicæ Fidei Confeſſioni, dicente Chriſto Matth. 10. 32. *Qui confitebitur Me coram Hominibus, confitebor & Ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt*: quo circa ſicuti non licet negare ſe Chriſtianum eſſe, ita nec *Francum* eſſe.

18. Si verò nomen *Franci* non minùs Nationem, quam Religionem ſignificet, itaut inter Populos illos indifferenter pro uno aut pro altero ſumeretur, & erui poſſet, mentem Principis interrogantis eſſe ſcire potiùs Nationem, quam Religionem, ac negotium in re politica verſaretur, tunc ſalvari poſſet, ita reſpondentem minimè adversùs Fidei proteſtationem deliquiſſe. Ita Poncius noſter cum communi Doctor. advertit in ſuo curſu Theologico Diſp. 29. Quæſt. 7. Concl. 2. at hoc à circumſtantiarum pendet conſideratione.

QUÆSTIO VI.

An poſſit quis negare ſe Miſſionarium Chriſtianorum, quin Confeſſioni Fidei officiat?

19. RESP. poſſe. Quamquam enim Miſſionarius ille mentiretur, non tamen negaret Religionem, ad quam annuntiandam à Supremo Jerarcha fuit miſſus, cum ex negatione ſtatus, in quo quis apud aliquem Cœtum conſtituitur, non arguatur negatio exiſtentiæ in illo Cœtu: multi enim apud Chriſti Eccleſiam nequaquam Miſſionarii munere funguntur, qui tamen veram Chriſti Religionem profitentur; negatio igitur ſtatus Miſſionarii non eſt negatio Religionis, adeoque nec falſæ proteſtatio.

20. Si tamen ex circumſtantiis hujuſmodi negatio ſuſpicionem gravem falſæ Religionis, aut ſcandalum notabile audientibus, & ſcientibus ingereret, tunc quocumque motivo non obſtante, teneretur Miſſionarius ſe prodere, tametſi Vitæ periculum immineret. Secus eſt de illo, qui falſæ Sectæ ſe fingeret Sacerdotem; Sacerdotium enim includit cultum illius Religionis, cujus eſt Sacerdotium: at negatio Sacerdotii alicujus Sectæ non arguit negationem Sectæ illius, cum ſtet optimè non eſſe Sacerdotem illius Sectæ, & nihilominus ejuſdem eſſe cultorem.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An poſſit ſuſtineri Catholicorum nonnullorum aſſiſtentia Conviviis Infidelium, aut Schiſmaticorum, in quibus candelæ accenduntur, vinum bibitur, atque pro Defunctis exoratur?

21. RESP. Hæc omnia non licere, ſi fiant in honorem, aut in ſuffragium Defuncti. Quod videtur evinci. Nam aſſiſtens tali Convivio bibens, & comedens, & orans pro Defuncto, falſam proteſtatur Religionem: videtur quippe cum adſtantibus ſupponere, illum eſſe in ſtatu ſalutis æternæ, cum in Schiſmate, aut in profeſſione Mahumetiſmi fuerit defunctus, adeoque Mahumeticam Religionem, aut ſtatum Schiſmatis eſſe veram Dei Eccleſiam; vel ſi non comedit, aut non bibit, vel oret pro Defuncto, aſſiſtendo tamen, & approbando, aliis conſentire videtur; ideoque idem flagitium committit: alioquin ſi hoc liceret, poſſent Catholici cum Hæreticis, aut Idololatris in Ritu citra piaculum communicare, quod falſiſſimum eſt; ergo hæc omnia ſunt illicita, Fideique externæ repugnantia.

22. Si tamen præſentia hæc eſſet omninò materialis, itaut non oraret pro Defuncto, nec cætera apparerent ab eo approbari, itaut comederet quidem, & biberet, non tamen in honorem Defuncti, non videtur poſſe condemnari, uti de ſimilibus Clemens XI. diffinivit pro Sinicis controverſiis dirimendis, Diplom. incip. *Ex illa die*, 20. Martii 1715. edito. At circumſtantiæ à Miſſionariis diligenter ſunt attendendæ.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

An licitè funeribus Infidelium, aut Schiſmaticorum Fideles interſint?

23. PRo reſolutione advertendum eſt, dupliciter Defunctorum funeribus aſſiſti poſſe. I. Præſentia purè materiali, qua comitans funus inſpectoris tantummodo munere fungatur. II. Præſentia approbativa, ut eſſet deferre faces, fundere preces, & ſimilia. Rurſus hæc præſentia formalis aut reſpicit actionem merè civilem, & politicam, aut Ritum Sacrum, & Cultum Religioſum. His præmiſſis.

24. Reſp. breviter, licere intereſſe funeribus Infidelium, ubi vel nullus actus Sacer exercetur, uti fit apud aliquas Orientales Nationes; vel ſi Cultus Sacer ſit, præſentia eſt tantummodò materialis, non formalis.

25. Prima Pars eſt certa: nam in tali caſu actus tantummodò politicus exercetur; ergo ſicuti in aliis rebus politicis licitum eſt cum Ethnicis communicare, licebit etiam in funeribus.

26. Secunda quoque patet: nam, ſtante purâ præſentiâ materiali, nulla fit in Ritu Sacro communicatio cum Ethnicis, aut Hæreticis; ergo neque externa profeſſio falſæ Religionis.

27. In aliquibus tamen Locis, ubi degunt Schiſmatici Orientales Reipublicæ Venetæ ſubjecti, ſicuti ex Apoſtolicæ Sedis tolerantia communicatio cum Schiſmaticis etiam in Sacris permittitur; ita permitti quoque poteſt Catholicis, ut funeribus Hæreticorum, & Schiſmaticorum aſſiſtant, vera Religione Orthodoxa retenta.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

An interrogatus de Fide tacere poſſit, nec confitendo, nec negando?

28. Reſp. Fidelem à Publica Poteſtate de Fide interrogatum, & tacentem peccare adverſus externam Fidei proteſtationem; peccare quoque, ſi taceat coram privata Perſona, ſi taciturnitas arguat Fidem negatam, aut minimè profeſſam.

29. Prima Pars patet, ex Propoſit. 18. inter 65. ab Innoc. XI. proſcriptas, ubi dicitur: *Si à Poteſtate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & Fidei glorioſum conſulo: tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.*

30. Et urget Ratio. Nam præceptum poſitivum Confeſſionis Fidei ex Div. Thom. 2. 2. Quæſt. 3. art. 2. obſtringit, quotieſcumque ex negatione, aut diſſimulatione dedecus, & ignominia magna in Chriſtum, ejuſque Religionem redundat, magnus verò ex Confeſſione honor augeretur: ſed utrumque ex his contingit in caſu propoſito; tacentes quippe puſillanimes ignavi, fortaſſe inanem cenſentes Religionem, quam publicè confiteri erubeſcunt, exiſtimantur; magnanimi verò, & fortes, qui eam non timerent, etiam coram Magiſtratu profiteri; ergo ſic interrogati tenentur palam confiteri Fidem; adeoque tacentes graviter delinquunt.

31. Eadem obligatio urgeret ex Tolet. lib. 4. Sum. cap. 2. Azor. lib. 8. Moral. cap. 27. Quęſt. 1. ſi quis, præſertim Vir gravis, coram pluribus interrogaretur de Fide: tacendo quippe innueret aut erubeſcentiam, aut contemptum veræ

Reli-

Religionis, cujus intuitu nedum pœnam, ſed neque vel minimam irriſionem vellet ſuſtinere: Chriſtiani fortaſſe de veritate Fidei ceſpitarent: Hoſtes verò peſſimam de ipſa opinionem augerent; Bene-affecti bonam, quam habebant, amitterent.

32. Secunda quoque Pars liquet: nam in nullo caſu licitum eſt Fidem abnegare, dicente Chriſto Matth. 10.33. *Qui negaverit Me coram hominibus, negabo & Ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt*; ergo etiam illicitum eſt ſilentium, ex quo arguatur, aut Fidem negari, aut minimè teneri.

33. Neque excuſat, poſſe occultari Fidem facto; nempe perſecutionem fugâ declinando; ergo etiam verbo: vel Principem Infidelem, aut privatam Perſonam jus non habere interrogandi de Fide.

34. Quantum enim ad primum, Fides quidem occultari poteſt à non interrogatis, non verò quoties à Publica Poteſtate interpellantur; vel ſaltem ita publicè, ut interrogatio diſſimulari nequeat.

35. Secundum quoque minimè excuſat: onus enim Fidem confitendi non ex jure interrogandi in Principe oritur, ſed ex Præcepto Fidei quoties honor Dei detrimentum ex taciturnitate patiatur, ut optimè Lorca 22. Quæſt.3. art.2. Diſput.24. memb.2. apud Bonac. de 1. Decalog. Præcept. Diſp.3. Quæſt.2. Punc.3.; ergo, etſi Princeps Infidelis nullam habeat interrogandi de Fide authoritatem, adhuc tenemur interrogati Fidem fateri, ne ignominia in Chriſtum, ejuſque Fidem ex negatione redundet.

QUÆSTIO X.

Utrum Artifices Catholici in conſtructione, vel reſtauratione Templi Mahumetici, aut Idolis dicati operam ſuam licitè valeant impendere?

36. Reſp. non licere. Ita per Conſultores ſuos à Sac. Cong. Sanctæ Inquiſitionis Romanæ 1669. deciſum habemus, ad Nonum reſpondente ex decem per Miſſionarios Sinicos propoſitis, cujus præciſa verba ſunt hæc: *Ad Nonum de operatione ad conſtruenda Templa, reſtauranda, mundanda, & alia reliqua in dubio contenta, dicimus, nullatenus licere Chriſtianis, neque ulla cauſa, aut motivo poſſe permitti, aut tollerari.*

37. Ratio eſſe poteſt. Quia omnes iſtæ actiones ex natura ſua ad falſi Numinis cultum ordinantur; ergo Opifices illi in conſtructione, aut reſtauratione laborantes falſam in facto proteſtantur Religionem, cum faciant illud, ſine quo alii colere, aut proteſtari non poſſent, ut acutè notat Tertull. Lib. de Idol. cap. 3.

38. Propter eamdem rationem obiri nequeunt miniſteria verrendi, purgandi parietes, & pavimenta, mundandi Altaria, claudendi, & aperiendi Templorum fores, uti ab eadem Sacra Congreg. ibidem deciſum eſt; ergo illicitè omnia iſta ſiunt.

39. Neque malorum imminentium, ſive lucri amittendi, ſive damni maximi incurrendi metus excuſat; cum enim hæ actiones ſint falſæ Religionis proteſtatio, ſaltem æquivalenter, & implicitè, nullo colore poſſunt cohoneſtari: hic Sancti Claudius, Nicoſtratus, Symphorianus, Caſtorius, & Simplicius, quo-

rum

rum memoria 8. Novembris agitur, ſtatuas Idolorum, quas uti ſummi Sculptores efficere jubebantur, conſtruere renuentes, Martyrium ſubjerunt.

40. Quamvis autem artes Cæmentarii, Pictoris, Architecti, & aliæ ſimiles ex ſe ſint indifferentes, non tamen ſunt indifferentes actus ad Idolum, aut Templum falſi Numinis conſtruendum, aut ornandum intrinſecè directi; atque hoc à quocumque diſcernitur; cum nemo, niſi falſæ ſequax Religionis, ea opera efficeret.

QUÆSTIO XI.

An Chriſtianis liceat pro Sacrificiis, Conviviis, & Feſtivitatibus in Templis Idolorum ad communem lætitiam celebratis contribuere?

41. Reſp. licere, uti deciſum habemus à Sac. Congreg. de Propag. Fide an. 1645. ſub Innoc. X. ad Sextum dubium à Sinenſibus Miſſionariis propoſitum, his verbis: *Cenſuerunt, poſſe Chriſtianos Chinenſes pecunias contribuere, dummodò per hujuſmodi contributiones non intendant ad actus Idololatricos, & ſuperſtitioſos concurrere, ſuppoſita cauſa, quæ narratur in dubio, præſertim præmiſſa, ſi commodè fieri poteſt, proteſtatione, quod impoſita tributa præſtant in ordine tantum ad Populi lætitiam, & ad actus indifferentes, vel ſaltem cultui Religionis Chriſtianæ non repugnantes.*

42. Ratio autem eſſe poteſt. I. Quia hujuſmodi contributio non reſpicit rem ex ſe malam, habet quippe pro objecto Feſtivitates ad lætitiam Populi introductas; ergo præmiſſa proteſtatione de non intento cultu ſuperſtitioſo, qui poſſet miſce-

miſceri, cum reſpiciatur res omnino indifferens, nulla incurritur culpa Religionis Catholicæ ejuratæ.

43. II. Contributio pecuniæ ſecundum ſe mala non eſt, ſed indifferens, nec ullam habens cum ſuperſtitione connexionem; ergo licet ſciatur in cultum falſi Numinis expendi, dummodò non intendatur, non eſt illicitum pecuniam illam erogare, ſicuti ex gravi motivo poſſunt fieri actiones ex ſe indifferentes, quibus alii ad peccandum ſunt abuſui.

44. Nec poteſt adduci paritas de conſtructione, aut reparatione Templi Idolorum: illa enim eſt illicita, quia ex ſe ad rem illicitam ordinatur, nempe Templum, in quo falſum colitur Numen: at contributio illa non ordinatur ad cultum Idolorum ex objecto, ſed ſolummodo, nec ſemper, ex malitia pura Infidelium: gravia autem motiva impellunt ad contribuendum, ne ſcilicet perſecutio adverſus Fideles excitetur; ne Miſſionarii expellantur; ne Chriſtifideles veluti ſeditioſi, aut turbulenti, & pervicaces habeantur.

QUÆSTIO XII.

An à Chriſtianis citra Fidei Confeſsionis violationem coram Idolis, omnia, quæ ab Ethnicis fiunt, præſtari poſſint, adoratione ad Crucem, quam præ manibus occultè tenent, aut inter flores Altaris celatur, directâ?

45. RESp. negativè. Habemus hoc à Sac. Congreg. de Propag. Fide deciſum ad Dubia quorumdam Miſſionariorum Orientalium; videlicet ad 7., & 8., cujus verba ſunt hæc: *Cenſuerunt, nullatenus licere Chriſtianis hujuſ-*

hujuſmodi actus publicos cultûs, & reverentiæ tribuere Idolo, prætextu, vel intentione Crucis, quam vel manu geſtant, vel in Altari inter flores abſcondunt. Hujuſmodi Deciſiones ab Innoc. X. approbatæ fuerunt Decreto ſuo 12. Septembris 1645., & ſub excommunicationis pœna Sedis Apoſtolicæ reſervata obſervari mandatæ apud Pignatel. Conſul.45. Tom.4.

46. Ratio autem eſſe poteſt. Quia hoc pacto falſa Religio ſimulatur, dum ſub obtentu Crucis abſconditæ verè externè coluntur Idola: ſimulatio autem falſæ Religionis Confeſſioni veræ Fidei adverſatur, quam clarè, & dilucidè Fideles præſtare debent verbis, & factis, ne Chriſtum erubeſcere videantur: hinc in Primitiva Eccleſia, qui externè Idolis immolabant, etſi Fidem rectam interiùs tenerent, graviſſimis pœnis plectebantur, ex Elibert. Cap.1., & 3. Arelat.I. Cap.4., & 7.

47. Ulteriùs Libellatici à Magiſtratibus atteſtationem obtinentes, ſe paruiſſe Imperatorum Edictis cultum Idolorum præcipientibus, etſi revera non paruiſſent, à pœnis adverſus abnegatores Fidei nequaquam erant immunes, ex Epiſt. Cypriani ad Cler. Rom., & ejuſdem ad Cyprianum; ergo etiam Chriſtiani Idolum exterius adorantes, etſi interiùs adorationem ad Crucem latentem dirigant, adverſus Fidei externam Confeſſionem delinquunt, cum adoratio Idoli ſit publica, & externa, Crucis verò occulta, & interna. Quem ſanè adorandi modum Sancti Martyres ignorarunt, publicè, & palam Chriſtum colentes, & Idolis genua flectere reſpuentes.

48. Nec obſtat, I. Nullam in illo cultu falſitatem eſſe., cum oratio ad Crucem dirigatur, non verò ad Idolum. Nam, etſi internus

cul-

cultus ordinetur ad Crucem, externè tamen ſacratur Idolo, & actus, qui externè fiunt, id denotant, in qua apprehenſione, tametſi adſtantes decipiantur; deceptio tamen eſt fundatiſſima, cum ita revera externè appareat, & propterea fit, ut videntes decipiantur.

49. Nec ſecundò urget, licitam eſſe æquivocationem ſive oretenus, ſive facto, quando audientes, aut videntes ex circumſtantiis mentem loquentis attingere poſſunt, ut multis citatis, docet Bonac. tom.2. diſp.4. Quæſt.1. par.12. nam in caſu noſtro circumſtantiæ oppoſitum oſtendunt: cum enim Crux aut in floribus, aut ſub veſte occultetur, qui præſentes adſunt, nullum habent motivum colligendi, adorationem ad Crucem dirigi, non ad Idolum: adoratio enim Idoli externa publica eſt, Crucis verò occulta.

50. Addo quoque, tametſi Crux æquè pateret, atque Idolum, adhuc adeſſe falſæ Religionis proteſtationem, in tali enim caſu diſtingui non poteſt, an adoratio, ſeu cultus ad Idolum, vel ad Chriſtum dirigeretur, cum tamen ſoli Cruci Chriſtum in ea confixum repræſentanti, cum excluſione Idoli debeatur: *Soli enim Deo immortali, & inviſibili honor, & gloria*, impendenda eſt, 1. Timot.1. adeoque &c.

QUÆSTIO XIII.

An liceat Catholicis in Templis Schiſmaticorum Organa pulſare, vel in eorum, aut Infidelium Scholis ſcientias edocere?

51. Reſp. breviter, non licere pulſare Organa, metros canere, concentus parare, ac alia ſimilia efficere in Templis Hæreticq-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE III

ticorum : aut Ritus, & Cœremonias Sacras Ethnicorum Diſcipulos erudire ; benè verò Sæculares ſcientias, præciſo quocumque errore veram Religionem labefactante.

52. Prima pars patet : nam pulſare Organa, Muſicamque aut exercere, aut docere exercendam in Templis Sectariorum, aut Schiſmaticorum eſt apertè, & quidem publicè eorum Sectæ communicare, Rituſque ſacrilegos approbare, in cujus obſequium, & famulatum hæc fiunt, dicente Tertul. Cap.3. de Idolol. *Idololatria eſt omnis circa Idolum famulatus, & ſervitus*; hoc autem illicitum eſt, & externæ Fidei Orthodoxæ Confeſſioni adverſum ; ergo iſta omnia illicitè fiunt, & cum læſione Orthodoxæ Fidei.

53. Secunda quoque pars eſt perſpicua : nam docere Diſcipulos Ritus Ethnicorum, eoſque Dogmatibus prophanis imbuere ſive practicè, ſive ſpeculativè, eſt apertiſſima falſæ Religionis profeſſio. Hinc in Scripturis acerrimè reprehenduntur, ac reprobantur pravæ doctrinæ Magiſtri, etſi eam minimè teneant in corde, ad Tit.1.11. *Docentes, quæ non opertet, turpis lucri gratia*, & 2.Petri 2.1. *In vobis erunt Magiſtri mendaces, qui introducunt Sectas perditionis*. Eccleſia verò Hæreſum, aut falſæ alterius Religionis Magiſtros ſeverioribus pœnis coercet, quam ſimplices Hæreticos, qui potiùs præſumuntur ſeducti, quam prava voluntate peccantes.

54. Neque eos excuſat bona intentio Ethnicos, aut Hæreticos lucrandi : tumquia hoc incertiſſimum eſt : tumquia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, neque quod ex ſe malum eſt, fit bonum ex circumſtantiis : docere autem errores, aut inſtruere Gentiles, aut Hæreticos, quo pacto eorum Ritus ſacrilegi con-

ſcian-

ficiantur, niſi fortaſſe ad eorum turpitudinem aperiendam, & confundendam, aperta eſt falſæ Religionis proteſtatio, dicente Tertul. Cap. 11. de Idolol. *Nulla ars, nulla profeſsio, nulla negotiatio, quæ qui aut inſtruendis, aut formandis Idolis adminiſtrat, carere poterit titulo Idololatriæ: niſi aliud omninò interpretemur Idololatriam, quam famulatum Idolorum colendorum.*

55. Tertia denique pars eſt evidens. Nam docere Diſcipulos Ethnicos, & Hæreticos ſcientias Sæculares, aut artes quaſcumque, ac diſciplinas ex ſe omninò eſt indifferens, & à Sanctiſſimis Patribus antiquæ Eccleſiæ, ut Clemente Alexandrino, & Aliis praxi firmatum. Quod verò prævideantur Ethnici, iis ſcientiis abuſuri in Eccleſiæ perniciem non efficit, graviſſima cauſa compellente, quin licitè fieri poſſit: tunc enim malum; quod prævidetur, permittitur, non approbatur, ut in aliis caſibus fieri conſuevit.

56. Quæ autem contra primam, & ſecundam Partem objici poſſunt, nulla ſunt. Quod enim Muſicæ exercitium, & pulſatio Organorum ex ſe ſint indifferentia, utique verum eſt: at non ſunt indifferentia, ſi fiant in Templis Hæreticorum, & in falſæ Sectæ obſequium. Ita quoque malum non eſt diſcere myſteria Ethnicorum, & falſos Hæreticorum Ritus: hoc enim, cum paſſivum ſit, & indifferens, nullam malitiam inducit, niſi pravo animo fiat, iiſdem ſcientiis utendi ad rectæ Fidei perverſionem: at docere prava Dogmata, & Ritus ſacrilegæ Superſtitionis, poſitivum influxum dicit, quod nulla excuſatione poteſt purgari. Malum enim, quod poſitivè infertur, certiſſimum eſt; bonum, quod ſperatur, inveriſimile; & ideo licitum eſt addiſcere falſa Dogmata, optimo fine impellente,

te,

te, eadem confutandi, non autem docere: optimè enim citatus Tert. Cap. 10. de Idolol. *Si Fidelis literas doceat inſertas Idolorum prædicatione, ſine dubio, dum docet, commendat; dum tradit, affirmat; dum commemorat, teſtimonium dicit.*

QUÆSTIO XIV.

An liceat Catholicis intereſſe Sacris Ethnicorum, vel Sectariorum, eorumque Templa frequentare, non præſentia pure materiali, ſed alterius generis?

57. RESp. non licere. Habemus hoc deciſum quantum ad Templa Hæreticorum à Paulo V. in ſuo Brevi ad Anglos Catholicos an. 1606., & 7. directo, quo prohibebantur ipſa adire, Regio Edicto non obſtante; quia Lex Divina ita præſcribit; ergo ob potiorem rationem non licet adire Templa Ethnicorum, in quibus ſacrilega fiunt Sacrificia, & ſuperſtitiones exercentur, cultui veri Dei repugnantes.

58. Ratio autem horum eſt hæc. Quia acceſſus ad Templa Hæreticorum, aut Paganorum alio titulo, quam curioſitatis, aut animo eorum Ritus addiſcendi, ut Hiſtoriæ tradantur, maximè Principis Ethnici, aut Hæretici Edicto præcipiente, dat authoritatem falſis Ritibus, & ſignificat conventionem Fidelis in Dogmate, & falſa Religione; alioquin nec Princeps Infidelis, nec Hæreticus Chriſtifideles minis, & terroribus compelleret; ergo illicita eſt Catholicis hujuſmodi acceſſio, cum ſit externa falſæ Religionis proteſtatio, ut optimè Tertul. Cap. 16. ejuſdem Libri, inquit enim: *Si propter Sacrificium vocatus aſſiſtam,*

ero particeps Idololatriæ: ſi me alia cauſa conjungit ſacrificanti, ero tantum ſpectator. Propterea ab Eccleſia præſertim antiqua hujuſmodi communio fuit ſeveriſſimè vetita, ut patet ex Laodic. Cap. 9. Chartag. IV. Cap. 72. Toloſan. Cap. 13.; ergo delinquunt, qui alio titulo, quam meræ curioſitatis, vel alterius juſti motivi Templa Hæreticorum, aut Gentilium adeunt, eorumque Ritibus, ac Cæremoniis præſentiam præbent non purè materialem.

59. Neque Chriſtianos excuſaret, ſi Crucem publicè erigerent, ad quam dirigere adorationem intenderent. Nam ab Adſtantibus minimè diſcerni poteſt, utrum honores illi Chriſto, an Idolo exhibeantur, & ideo minimè à Gentilibus vexantur; ergo exiſtimantur ſaltem venerari æquè Idolum, ac Chriſtum; adeoque Chriſtum erubeſcunt confiteri, qui in ſui conſortium Idolorum cultum nequaquam admittit: Matth. enim 6. 24. Chriſtus proteſtatur: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ*. Directio autem intentionis ad Chriſtum utpote inviſibilis non ſalvat cultum externum, quin ſit Idololatricus, & ſacrilegus.

60. Quæ verò objici poſſunt, minimè cogunt. Non quidem exemplum Eliſei Prophetæ, qui Naaman Syro in Templo Idolorum genuflectere permiſit, 4. Reg. 5. 19. non enim Naaman abſolutè in venerationem Idoli genua flectebat, ſed quia, genuflectente Rege, qui ejuſdem dextera nitebatur, id debuit facere abſque ulla ad Idolum relatione.

61. Non directio intentionis ad Crucem

patentem, quæ videtur tollere malitiam directionis ad Idolum: Nam etſi ſcirent Gentiles, à Chriſtianis adorationem ad Crucem, aut imaginem Chriſti dirigi, adhuc tamen, cum hoc externè pateat, nec Idolum excludatur, quin illa adoratio ſit proteſtativa falſæ Religionis, minimè poteſt excuſari.

62. Non indifferentia genuflexionum, & Rituum aliorum, qui etiam Regibus fiunt, aliiſque hujus generis hominibus, quæ videntur in ſe indifferentia, & ex ſolo motivo pendentia in genere moris: Nam ſacrificia, oblationes, & alia ſimilia ſoli Deo reſervantur, & Idolis, aut Hominibus nullo modo ſacrari poſſunt, & quidem ex communi omnium Nationum conſenſu. Cæterum, etſi eſſent indifferentia ſecundum ſe, in Templis tamen Idolorum indifferentiam amittunt, & fiunt ſacra, falſorumque Numinum honori dicata, adeoque ſacrilega ab intentione offerentium nequaquam excuſabilia.

63. Non opinio communis tenens licitum aditum ad Templa Hæreticorum ob fines honeſtos, Conciones audire animo eos confodiendi, præciſo ſcandalo, & periculo ſubverſionis; ergo etiam id licebit, ſtante edicto Principis Hæretici, aut Ethnici. Nego quippe conſeq., nam ſtante edicto, illa frequentatio gerit vicem interrogationis in negotio Fidei, deſervit quippe ad Catholicos ab Hæreticis diſtinguendos: in tali autem caſu tenentur Catholici etiam cum vitæ diſpendio Fidem confiteri Orthodoxam, ex difinitione Innoc. XI. in proſcrip. Propoſ. 18.; hoc autem non contingit, cum quis ea Templa ingreditur ob alios fines in objectione recenſitos.

64. Si quis inquirat, an liceat Famulis acce-

cedere cum Dominis ſuis ad Templa Idolorum, & eiſdem deſervire?

65. Reſp. poſſe accedere, & ea præſtare, quæ præcisè Famulorum ſunt, indifferentia tamen ſecundum ſe, ut notat Tertul. Cap. 16. Lib. cit. de Idolol., non quæ in falſę Sectæ obſequium redundant, uti de Famulo Naaman Syro exemplificatum eſt.

QUÆSTIO XV.

An liceat Chriſtifidelibus Idolothyta comedere?

66. Reſp. breviter: Comedentem Idolothyta in Sacrificio oblata prope Altare, & in Templo diſtributa, graviter delinquere; non verò ſecundum ſe, ſcandaloque præciſo,

67. Prima Pars patet: quia illa comeſtio in honorem Idoli, ejuſque cultum redundaret: eſt quippe Sacrificii peracti complementum; ergo ſicuti falſam proteſtaretur Religionem, qui Sacrificium Idolis offerret, ita ejuſdem criminis reus eſt, qui ejuſdem comedendo Victimam fit particeps, utpote ipſius complementum, & docet apertè Paulus 1. Cor. 8. 7., confirmatque Concilium Jeroſol. Act. 15. Elibert. cap. 4. Gang. cap. 2., & communiter Patres, Hinc Tertul. de Spec. cap. 13. *Non ſacrificamus*, inquit, *non parentamus, ſed neque de Sacrificato, aut parentato edimus, quia non poſſumus Cœnam Dei edere, & Dœmoniorum.*

68. Secunda quoque Pars eſt perſpicua. Quia cibi illi ſecundum ſe mali non ſunt, nec falſæ Religionis proteſtationem involvunt: quod enim ſint Idolis immolati, non facit eos eſſe interdictos. Hinc Paulus 1. Corinth. 10. 25.

Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Domini eſt terra, & plenitudo ejus; ergo ſecundum ſe licitè comeduntur.

69. Tertia denique Pars evincitur ex Paulo 1. Corinth. 8. 10. dicente: *Si quis dixerit; hoc immolatum eſt Idolis, nolite manducare propter illum, qui indicavit, & propter conſcientiam; conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius*: ergo quoties ex hujuſmodi comeſtione ſcandalum naſceretur ſive Fidelium, ſive Infidelium, illicitè Idolothyta comederentur, cum ruina Proximi ſpiritualis vitari ex charitate debeat. Hinc cap. 8. 13. ejuſdem Epiſt. concludit Paulus: *Si eſca ſcandalizat Fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne Fratrem meum ſcandalizem*.

70. Ex his ſequitur I. Si Tyrannus in ſpretum Religionis, aut cultum Idoli juberet comedi Idolothyta, non poſſe comedi, tametſi vitæ diſcrimen pateretur: eo quia tunc illa comeſtio eſſet falſæ Religionis proteſtatio: ſi verò non præciperet, vel ſi præciperet, hoc faceret ob politica motiva, tunc licere illa comedere: ſicut liceret quoque, ſi juberet vendi ſolos cibos Idolothytos, uti de Juliano Apoſtata legitur apud Theodor. Lib. 1. Hiſtor. cap. 24., in quo caſu laudem Antiocheni cibos liberè comedendo, Conſtantinopolitani abſtinendo meruerunt.

71. Sequitur II. Servum emptitium nullo alio cibo, præter Immolatitium ſibi à Domino ſuo non ex motivo Religionis, ſed avaritiæ, porrectum, ſibi ad victum dato, poſſe illo liberè veſci; voluntarium verò, ſi alium Dominum invenire queat ſibi victum ex non immolatis miniſtrantem, abſtinere debere, ne

man-

mandatis Apoſtolicis refragari videatur, quibus Act. 15. ab Immolatis ſimulacrorum abſtinentia præſcribitur.

QUÆSTIO XVI.

An citra peccatum poſſint Fideles cibos ab Eccleſia vetitos comedere, Principe Ethnico, & Hæretico comeſtionem præcipiente?

72. Communis eſt Theologorum ſententia, non teneri Catholicum à cibis vetitis abſtinere quoties incommodum graviſſimum ſe detegendo incurreret, præciſo tamen ſcandalo; cum Leges Eccleſiaſticæ non ita rigidè obſtringant, ut docet Layman Trac. 4. cap. 14. aſſer. 2., ſed difficultas eſt, an, Principe Ethnico, aut Hæretico per Edictum præcipiente, teneantur Catholici obtemperare?

73. Reſp. breviter, ſi Princeps Ethnicus, aut Hæreticus ob motivum Religionis, ſive pœnis impoſitis, ſive non, hujuſmodi comeſtionem præſcribat, non poſſe Catholicos abſque peccato cibos illos edere: secùs verò ſi ob politicum motivum id faciat, & ſcandalum abſit.

74. Ratio primæ Partis eſt. Quia illa abſtinentia eſt explicita veræ Religionis proteſtatio: comeſtio verò falſæ Confeſſionis, ſtante Principis Infidelis, aut Hæretici publico edicto; ergo quocumque incommodo non obſtante, tenentur Fideles à cibis vetitis abſtinere.

75. Secunda Pars patet: nam Leges Eccleſiaſticæ non obligant cum graviſſimo incommodo; ergo imperante Principe comeſtionem ob motiva politica, & incommodis graviſſimis ex inobedientia imminentibus, licebit vetitos cibos comedere, ſi alio pacto neceſſitati corpo-

ris occurri non poteſt, nec ſe poteſt Catholicus ab illa neceſſitate ſubducere, in quam involuntariè projectus eſt: ſi enim voluntariè ſe projeciſſet, ab ipſo utique violaretur Eccleſiæ Præceptum, & aliquo pacto adversùs externam Fidei Confeſſionem delinqueret. Ita diſcurrit Lauræa Tom. 2. de Fide, Diſput. 11. art. 10. §. 2.

76. Quæres I. An Catholicus notus inter Infideles, notoque morbo gravatus poſſit liberè veſci cibis vetitis ſibi neceſſariis abſque proteſtatione?

77. Reſp. poſſe: Nam in tali caſu facit rem ex ſe licitam, nec natam in ſe ſcandalum ingerere, cum evidens ſit, Præceptum humanum in evidenti neceſſitate nequaquam obſtringere, nec proteſtatione indigere. Secus quoties morbus ſit occultus, & Catholicus notus: tunc enim requiritur proteſtatio, & revelatio neceſſitatis, alioquin grave ſcandalum, & Hæreticis, & Catholicis ingereretur, præſertim ſi adeſſet Principis edictum de carnibus edendis; urgeret quippe Præceptum Fidei confitendæ, quocumque periculo non obſtante.

78. Quæres II. An Catholicus ignotus, nec interrogatus, ne ſe detegat cum diſcrimine graviſſimo, poſſit carnes edere diebus vetitis, ſi alio modo neceſſitati occurrere nequit?

79. Reſp. Cum communi Catholicorum praxi, poſſe. Ratio eſt, quia non ſemper tenemur verbo Fidem confiteri; ergo neque facto: abſtinentia autem à cibis vetitis eſt confeſſio in facto, ad quam non tenemur, niſi interrogati, & urgente Fidei detrimento; nec Præceptum Eccleſiæ cum graviſſimo urget incommodo. Si tamen poſſet Catholicus alio pacto ſuæ occurrere neceſſitati, tunc utique peccaret, contra

Fidei

Fidei externam Confeſſionem, & contra Eccleſiæ Præceptum, ſi comederet.

QUÆSTIO XVII.

An teneantur Chriſtifideles deferre ſignum diſtinctivum ab Hæreticis, aut Infidelibus. Principe Ethnico, aut Hæretico ita imperante?

80. Reſp. breviter: Si ex circumſtantiis deducatur, edictum proficiſci in odium Fidei Orthodoxæ, teneri Catholicos prodere ſeipſos ſignum deferendo. Ita cenſet Navar. cap. 11. Manual. n. 27. Cajet. 2. 2. Quæſt. 3. art. 2. dub. 1. Brancat. noſt. Tom. 2. de Fid. Diſp. 11. art. 8. n. 143. Si verò ob finem politicum prodierit, tunc non teneri, uti cenſent Malderus, Becanus, Sanchez, Silveſter, & Alii, quos citat, & ſequitur Bonac. Tom. 2. Diſp. 3. Quæſt. 2. Propoſ. 1. n. 8.

81. Prima Pars oſtenditur. Nam interrogatus de Fide à Publica Poteſtate, tenetur reſpondere, nec ſe occultare poteſt; alioquin Chriſtum coram hominibus erubeſceret confiteri: tali autem edicto interrogatur quiſque de Fide; ergo tenetur ſeipſum prodere, ſtante edicto.

82. Neque obſtat, edictum illud eſſe generale: virtualiter enim eſt multiplex, ſingulos in particulari afficiens, eo pacto, quo obligant Principum edicta in rebus Politicis, etſi neminem in particulari reſpiciant; ergo ſicuti Fideles collectivè, verbaliter, etſi non nominatim interrogati, tenentur tamen reſpondere, nec ſilentium ſuffragaretur: ita ſi interrogentur per edictum, quamvis non nominatim, tenentur reſpondere, ſignum deferendo diſtinctivum

Fidelium ab Infidelibus. Ita Martyres Nicomedienſes, de quibus Metaphraſtes die 26., Martyrologium autem Romanum die 25. Decembris mentionem faciunt, juſſi in Eccleſia collecti, non nominatim, ſed ſimul Diis Sacrificare, non ſe putarunt excuſatos, ſed omnes unanimiter Chriſtum confeſſi glorioſum Martyrium ſubjerunt.

83. Secunda Pars quoque oſtenditur. Nam in tali caſu non eſt Fidei interrogatio, ſed potius Nationis, & ſtatus Perſonarum; ergo licet diſſimulare ſignum non deferendo: nam lex humana etiam juſta non obligat cum graviſsimo ſui incommodo: ergo multò minus lex injuſta, qualis eſſe præſumitur Principis Ethnici, aut Hæretici cum Chriſtifidelibus agentis.

84. Argumenta in oppoſitum minimè cogunt. Quod enim Princeps Infidelis injuſtè interroget, non tollit onus confitendi, quod non oritur ex jure interrogandi in Principe, ſed quia publicè fit interrogatio, qua ſtante, ſive juſta, ſive injuſta, tenentur Fideles reſpondere, ne videantur Chriſtum coram hominibus confiteri erubeſcere.

85. Minimè quoque urget, Fideles in particulari non interrogari: quamvis enim formaliter, & nominatim non fiat, fit tamen æquivalenter, cùm ad ſingulos quoque edictum dirigatur, alioquin eſſet inane.

86. Tertium, quod nullus contemptus, aut injuria in Chriſtum ex hujuſmodi ſilentio redundet, omnino falſum eſt: maxima enim Fidei injuria fieret, & ſcandalum magnum ingereretur, ſi nemo ex tot Myriadum Fidelibus, ſtante edicto, ſe Chriſtianum confiteretur, ſignum deferendo ob mortis, aut aliorum malorum formidinem, eum etiam privatim interroga-

rogatus teneatur reſpondere de Fide, quoties negatio, aut diſsimulatio eiuſdem vilipendium, & ſcandalum Fidelium, aut Infidelium pareret, ex D. Thom. 2. 2. Quæſt. 3. art. 2. in corpore.

87. Si quis autem imbecillis animi, aut quia vita ejus ad Fidei cuſtodiam requiritur; nollet ſeipſum ſignum deferendo prodere, Confeſsionem poſſet fugâ declinare, eo modo, quo fieret, urgente perſecutione, quod quidem licitum eſt.

QUÆSTIO XVIII.

An Chriſtifideles ab Infidelibus ad Diſputationem provocati, ſilere poſſint, vel Diſputationem declinare citra ullum Confeſſionis Fidei præjudicium?

88. Reſp. poſſe, & debere. Caſus eſt deciſus in reſponſionibus Sac. Congreg. de Propag. Fide, ad Dubium 15. Patris Longobardi, his verbis: Diſputatio de rebus Fidei Laicis eſt prohibita: Sacerdotes niſi valdè periti ex conſilio ab ea debent abſtinere ſe excuſando bonis verbis, & prætextibus, de *quibus in Caſu*. Quæ deciſio à S. Inquiſit. Rom. fuit approbata anno 1630.

89. Ratio autem eſſe poteſt. Quia nimirum nulla Fidei, aut Eccleſiæ utilitas ex hujuſmodi Diſputatione obvenire poteſt, ſed potius vilipendium, confirmatio Infidelium in errore, atque Fidelium quoque perverſio. Nam Infideles non provocant Fideles animo ſe corrigendi, ſed inſultandi Fidelibus, ipſoſque pervertendi, ut optimè notat Auguſt. lib. 15. cont. Fauſt., & Sanctus Bernardus Serm. 66. in Cant. Fideles

verò valdè imperiti, Fidem ipſam, imperite reſpondendo, aut oppugnando, irriſionibus, & ſubſannationibus exponunt Infidelium, ipſiſque fomitem miniſtrant in erroribus permanendi, & Fideles quoque in diſcrimen defectionis adducunt, dum Argumenta Ethnicorum in ſuo robore audiunt propoſita, nullam verò, aut ineptam audiunt Defenſoris reſponſionem: & propterea Laici, & Sacerdotes rudes vetantur à Sacris Canonibus hujuſmodi diſputationes amplecti, Cap. *Quicumque*, de Hæret. in 6.; ergo poſſunt, & debent eam declinare.

90. Argumentum quod fieri in oppoſitum poteſt, non urget. Utique enim, ſi diſputatione revinci, ac confundi poſſent Infideles, diſputationem aggredi, vel non reſpuere oporteret, at quia nec Laicis, nec imperitis onus hoc incumbit, & damnum potius, quam utilitas, aut Fidei honor ex diſputatione prævidetur, idcircò nec tenentur, nec debent eam aut offerre Infidelibus, aut oblatam amplecti, ſed verbis congruentibus, aut ſilentio rejicere, non quaſi de Fidei certitudine formidantes, ſed quia nulla cogit neceſſitas, nec ipſorum ſtatus permittit.

QUÆSTIO XIX.

An quando Chriſti Imago, ejuſque Myſteria, Nomenque conculcantur ab Infidelibus, teneatur Miſſionarius, vel quiſquis Fidelis publicè Fidem confiteri, diſcrimine mortis non obſtante?

91. Reſp. Si nulla ſperetur utilitas, & major Chriſti, ac Fidei timeatur inhonoratio, Miſſionarium, aut quemcumque alium Chriſtifidelem minimè teneri ſe prodere Fidem con-

confitendo: ſi verò ſperetur utilitàs, nec major immineat Religionis Orthodoxæ irriſio, teneri tunc ſe prodere etiam cum Vitæ diſcrimine.

92. Prima Pars patet. Nemo enim temerè ad Fidem confitendam procedere debet, nequis ſe periculo objiciens miſerè pereat: hinc Patres, perſecutione vigente, Fideles minimè hortabantur, ut ſe tortoribus offerrent, ſed capti Fidem intrepidè confiterentur, ex Athanaſ. Apol. de fug. ſua, Auguſt. Epiſt. 180., quoties autem nulla ſperatur utilitas, imò major ignominia Religionis timetur, Miſſionarius temerè ageret, ſe verò exponeret periculo negationis; ergo nequaquam tenetur.

93. Secunda quoque Pars evincitur. Nam videns Religionem Orthodoxam conculcari, Chriſtumque irrideri, ex Confeſſione autem non timetur major Chriſti inhonoratio, & tacet, videtur conſentire delinquentibus; ergo peccat adverſus Fidei Confeſſionem: adeoque tenetur erumpere in medium, Fidem confiteri, ac injurias in Chriſtum, ejuſque Religionem jactatas retundere, juxta Præceptum Chriſti Matth. 10. 32. *Qui confitebitur Me coram hominibus, confitebor & Ego eum coram Patre meo.*

94. Idipſum fieri debet ſi ex taciturnitate ſcandalum, ac perverſio Fidelium, aut Infidelium in errore obfirmatio timeatur. Præceptum urget Charitatis, quo jubemur vitam ſpiritualem in periculo gravi, & imminenti verſantem vitæ noſtræ corporalis periculo præferre. Ita ſentiunt Layman lib. 2. Trac. 1. cap. 11.

95. Quæ objici poſſunt, minimè urgent: nam taciturnitas in Fideli, quoties Orthodoxa Fides, aut Salvatoris Nomen injuriis, atque conviciis peſſundantur, Chriſti erubeſcentiam arguit, quando citra ejus majorem contume-

liam, aut Fidelium ſcandalum fieri poteſt Fidei Confeſſio; non verò quando irriſio Religionis, aut contumeliæ in Chriſtum jactatæ majores fiunt, neque ſcandalum evitatur, neque ullus honor Religioni Orthodoxæ augetur.

QUÆSTIO XX.

Utrum Miſſionarius ad ſe occultandum galero Judæorum uti poſſit?

96. Reſp. poſſe: nam illud diſcretivum eſt Nationis, non Religionis, niſi ſecundariò, & indirectè: hinc apud Turcas Judæi ſignum deferunt, etiamſi Religionem quamcumque præter ſuam parvi pendant; ergo licitum eſt Miſsionario ſignum illud ad ſe occultandum deferre. Nec diſcrepant Doctores caſum in terminis decidentes, apud Layman lib. 2. Trac. 1. cap. 11.

97. Falſum ergo eſt, quod objiei poteſt, nempe delationem ſigni illius eſſe proteſtationem falſæ Religionis, cum primario denotet Nationem, ſecundario Religionem: alioquin Principes Chriſtiani malè agerent cogendo eos ad ſignum deferendum, dum illos compellerent ad falſæ Religionis proteſtationem.

98. Nec ſequitur, ex eo quia nemo ſe dicere poſsit voce, vel ſigno Turcam, aut falſi Numinis cultorem, non poſſe ſe dicere ſive voce, ſive ſigno Hebræum. Nam in primo caſu Religio falſa primariò denotaretur, in ſecundo caſu ſolummodo Natio, ſecundario falſa Religio.

QUÆ-

QUÆSTIO XXI.

An Hæreticis, aut Ethnicis Libellos infamatorios adverſus Orthodoxam Fidem, ejuſque Miniſtros ſpargentibus, aut Domicilio affigentibus, liceat Catholicis ſilere ſaltem ad tempus?

99. Reſp. breviter, teneri Miſſionarios, aut Chriſtianos ſtatim amovere ab ædibus Libellos famoſos Magiſtratus Ethnici, aut Hæretici juſſu eiſdem affixos: Scripturas verò adverſus eos ſparſas, ſi timeatur durior perſecutio, poſſe ad tempus diſſimulari, eos verò negativè ſe habere.

100. Habetur utrumque deciſum à Rom. Univerſ. Inquiſit. an. 1674. ad Dub. 22. his verbis: *Reſpondetur, quod tenentur auferre; et, ſi ad Judices delati ſuper facto interrogentur, tenentur Fidem veram profiteri*. Et ad Dub. 23. *Si non adſit periculum durioris perſecutionis, poſſunt ea confutare dictis, & ſcriptis: ſi adſit periculum: ſuſtineant ad tempus, & negativè ſe habeant*.

101. Ratio primæ Partis eſt. Quia in tali caſu à Publica Poteſtate de Fide interrogantur, falſa quippe aſſeritur Religio, tot continens abſurda: tunc autem urget Præceptum Fidei confitendæ; ergo tenentur ſchedas illas auferre; Fidem quippe facto confitentur. Ob eamdem rationem coram Judicibus tenentur fateri, ſi interrogentur, illa abſtuliſſe, & Fidem ingenuè confiteri; alioquin coram Publica Poteſtate Chriſtum erubeſcere oſtenderent.

102. Ratio ſecundæ Partis eſſe poteſt. Quia Scripturæ illæ, quæ ſparguntur, non cenſen-

tur, à Publica Poteſtate prodire; adeoque nec ab ipſa publicè interrogari; ergo quamvis poſſint illa confutare, non tamen tenentur, duriore imminente perſecutione, ex qua malum majus oriretur, quam bonum ex confutatione prodiret: ceditur enim tunc hoſti non abſolutè, ſed ad tempus, & contemptus potius hoſtium denotatur, quam Fidei negatio, aut objectorum ulla approbatio.

QUÆSTIO XXII.

An Magiſtratui Infideli, aut Hæretico Sacros Libros, & Vaſa petenti tradere liceat, citra Fidei Orthodoxæ violationem?

103. Reſp. non licere. Ita reſolutum habemus per Theologos à Sac. Congreg. Rom. an. 1674. deputatos ad 24. Dub. ita reſpondentibus: *Non licere*.

104. Ratio eſſe poteſt: tumquia traditio Librorum, & ſupellectilium Sacrorum in ignominiam Religionis veræ redundat, cum aut in uſus prophanos convertantur, aut igne cremuntur: tumquia Principe Infideli circa res Sacras præcipiente, quidquid fit, aut omittitur, eſt Religionis proteſtatio, uti toties dictum eſt; ergo non licet, Infideli jubente Principe, Sacra Vaſa, aut Divinos Libros prodere.

105. Hinc in Primitiva Eccleſia uti Fidei deſertores habebantur, qui Vaſa Eccleſiæ, vel Libros Sacros Ethnicis prodebant ab Arelat. I. Cap. 13., ſi Clerici eſſent, depoſitione mulctati; ergo, ſicuti non licet ea Judæis vendere ſub pœna relegationis ex Gregor. Mag. Lib. 1. Epiſt. 6., multò minus licebit ea tradere Gentili Magiſtratui citra Fidei Orthodoxæ violationem.

106. Nec

106. Nec idcircò tradenda ſunt, quia imminet perſecutio ſæviſſima: non enim mala facienda ſunt, ut alia vitentur: magnum autem malum eſt, margaritas ante porcos projici.

QUÆSTIO XXIII.

An liceat Miſſionario apud Infideles manere ſub conditione numquam Evangelium diſſeminandi?

107. Reſp. Miſſionarios hujuſmodi conditionem acceptare non poſſe. Ita deciſum eſt à PP. Theologis à Sac. Inquiſitione Rom. deputatis an. 1674. pro Miſſionibus Synicis ad ſext. his verbis: *Non poſſe id promittere*.

108. Ratio eſt. Quia conditioni Miſſionarii munere fungentis Apoſtolorum repugnat, qui non ſolum conſervare, ſed diffundere tenetur Evangelicam Doctrinam, juxta Chriſti Præceptum Matth. ult. 20. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis*. Et Marci 16. 15. *Euntes in Mundum Univerſum prædicate Evangelium omni Creaturæ*.

109. Deinde Miſſionarii Summi Pontificis præcepto, à quo mittuntur, ſunt obſtricti, jubentis ab iiſdem Evangelium, cum facultas acceſſerit, enunciari, ut ex ipſamet patet forma commiſſionis; ergo, ſicuti non poſſet ipſe Summus Pontifex hoc ſpondere, ita nec ipſi, maximè cum urgeat Præceptum Charitatis, qua præſcribitur ſubveniri Proximis graviſſima ſpirituali neceſſitate laborantibus, quales ſunt Infideles, & Hæretici, adeoque nequit

Chri-

Chriſti Miniſter ſalvâ conſcientiâ polliceri Evangelium, cum facultas acceſſerit, minimè annuntiare.

110. Quod verò objici poteſt, non eſſe malum polliceri non facere, quod videtur impoſsibile fieri, nihil ad rem facit; cum revera peccari poſsit denegando præparationem animi illud faciendi, ſi commodum aderit, uti peccatur appetendo æqualitatem Dei, etiamſi ſit impoſsibilis. Neque profectò Miſsionarii Apoſtolici ad hoc unicè mittuntur, ut Miſsiones conſervent, ſed etiam, ut eas dilatent, poteſtate accedente: quod ſanè multi Miſsionarii & fecerunt, & faciunt, & pro hujuſmodi Evangelii diffuſione ſanguinem fuderunt, & fundunt, Apoſtolos imitantes, qui hujuſmodi vinculis minimè ſe obſtrinxerunt, rationem optimam reddentes Act. 4. *Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate.*

QUÆSTIO XXIV.

An Principe Infideli præcipiente, liceat Chriſtianis Defunctorum funera aſſociare?

111. Reſp. poſſe fieri, ſi nulla ſuperveniat ſuperſtitio, vel præſentia ſit purè materialis. Prima Pars deciſa habetur à Patribus Theologis per Sanc. Inquiſit. Rom. an. 1674. deputatis in ℞. ad Dub. 20. his verbis: *Si in comitatione feretri, & in ſepultura interveniant actus apoſtatici, aut ſuperſtitioſi non poſſe; ſi civiles tantum, poſſe.*

112. Ratio autem patet. Nam aſſociatio Cadaverum etiam Gentilium ad ſepulturam eſt

res merè politica, & indifferens: in his autem Principi temporali obtemperari oportere, Lex Divina præcipit, dicente Apoſtolo ad Rom. 13. 2. *Qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*; ergo in hoc caſu tenentur Fideles obtemperare.

113. Secunda etiam Pars liquet. Nam ſi actiones illæ, vel ſuperſtitioſæ ſint, vel ſuperſtitione imbuantur, eas efficere, mandante Principe Infideli, eſt ſuperſtitionem approbare, & falſam Religionem profiteri; ergo illa comitatio in tali caſu eſt licita.

114. Tertia quoque Pars eſt perſpicua. Nam præſentia merè materialis non arguit, aut Ritum, aut Doctrinam falſæ Religionis approbari, ut habemus ex Diplomat. Clem. XI. de Ritibus Synicis ſententiam ferente; ergo licita eſt, nec nocet externæ Fidei Confeſsioni.

QUÆSTIO XXV.

An Infidelibus petentibus de ſalute æterna Secta Authoris, teneantur Catholici reſpondere?

115. RESP. Fideles hoc pacto interrogatos à Publica Poteſtate, aut publicè, teneri reſpondere, Authorem falſæ Sectæ non eſſe in ſtatu ſalutis æternæ: ſi verò privatim, & à Viro nullius entitatis interpellentur, poſſe, non negando, reſponſionem declinare.

116. Prima Pars patet. Nam hoc pacto à Publica Poteſtate, vel publicè interrogatus, æquivalenter interrogatur de Fide, ac veritate Religionis: talis autem interrogatio cogit ad reſponſionem, ad Rom. 10. 10. *Corde enim creditur ad Juſtitiam, ore autem Confeſſio fit ad ſalu-*

ſalutem: & omnes Scholaſtici cum D. Thoma 2.2. Quæſt.3. art. 2.; ergo ſic interrogati tenentur reſpondere Mahumetem v. g. non eſſe in ſtatu ſalutis æternæ, neque ejus Sectatores eſſe capaces ejuſdem.

117. Secunda quoque Pars liquet, quam docent, Valentia, Azorius, Reginaldus, & Alii apud Bonac. Tom. 2. Diſp. 3. Quæſt. 2. Punc. 3. Nam Præceptum confitendi Fidem eſt affirmativum; adeoque non ſemper, neque ad ſemper obligans; ergo ille, qui à Viro privato, nec ullius authoritatis de ſalute æternâ Mahumetis interrogatur, poteſt citra noxam à reſponſione deflectere, non tamen affirmare, quod numquam licitum eſt.

QUÆSTIO XXVI.

An liceat Idolum ob finem merè politicum exteriùs venerari.

118. RESP. Non poſſe, ſi cultus ſit Religioſus, ut ſupponitur in præſenti; alioquin nulla urgeret difficultas. Deciſum eſt à Theologis Sac. Inquiſit. Rom. an. 1674. ad Dub. 28. *Non licere*.

119. Ratio eſt. Quia Idolum qua tale, nullam neque exteriùs venerationem Religioſam meretur; ex Apoſt. enim ad Cor. 1. Cap. 8. 4. *Nihil eſt Idolum in Mundo*; ergo illicita eſt illa externa veneratio, eſt quippe falſæ Religionis externa proteſtatio, & exterior Idololatria, quæ ob nullum motivum poteſt juſtificari, etſi cultus deſit interior.

120. Nec excuſat defectus intentionis. Nam malitia actuum humanorum non ex fine tantum deſumitur, verum etiam ex objecto, à

quo

quo ſpecificationem ſumunt; ergo in caſu noſtro cum objectum ſit malum, nempe Idoli veneratio exterior, ob nullum finem, etſi bonum, poteſt juſtificari.

QUÆSTIO XXVII.

An liceat Chriſtiano ex equo deſcendere, dum ante fores Templi Idolorum tranſit, Principe Ethnico præcipiente?

121. RESp. non poſſe. Ita Theologi à Sac. Inquiſit. Rom. an. 1674. deputati ad Dub. 16. reſponderunt.

122. Ratio eſt. Quia deſcenſus ſit in obſequium Idoli, ſicut argueretur fieri in obſequium Chriſti, ſi fieret ante fores Templi Chriſto dicati; ergo illicitus eſt ille deſcenſus, utpote falſæ Religionis proteſtativus, maximè accedente Principis Infidelis, illum deſcenſum in obſequium Idoli præcipientis, imperio.

123. Nec officit deſcenſum eſſe ex ſe indifferentem: quamvis talis ſit ex ſe, non eſt tamen talis, relatè ad Idolum, ad cujus cultum dirigitur.

QUÆSTIO XXVIII.

An res, quæ Sacrificiis Idolorum deſerviunt à Mercatore Catholico licitè vendi queant?

124. RESp. Si Mercator cibos, animalia, flores, odores, & alia, quæ falſo Numini offeruntur, ita indifferenter cum aliis rebus vendat, ut minimè colligi poſſit, ea præcisè exponi, quatenus unicè cultui falſi Numinis deſerviant, nec prope locum Sacrificii, ſed ali-

alibi cum cæteris rebus vendantur, non eſſe reum falſæ Religionis exterius expreſſæ; benè verò ſi ſola vendat ad ſuperſtitionem neceſſaria, & in loco proximo, ubi falſo Numini ſacrilega fiunt Sacrificia.

125. Prima pars oſtenditur. Nam venditio earum rerum in tali caſu nullam habet relationem ad falſi Numinis cultum, ſed in ſua manet indifferentia; eo pacto, quo etiam inter Catholicos multa Venditores exponunt, quæ ex malitia Ementium pravis uſibus poſſunt deſervire; ergo abſque labe proteſtationis falſæ Religionis poteſt Mercator Catholicus inter Infideles victitans ea diſtrahere, ſi alio pacto non valeat vitam ſuam tranſigere.

126. Secunda Pars etiam evincitur ex hoc, quod vendere res illas talibus circumſtantiis aſfectas; nempe in tali loco, & illas ſolummodò, quæ cultui falſi Numinis deſerviunt, in ejuſdem obſequium externè fieri videntur; ergo externa ſit proteſtatio falſæ Religionis, adeoque illicitè: quare Miſſionarius ad ſe occultandum, maximè vigente perſecutione, primo modo agere poteſt, non ſecundo. Hac diſtinctione adhibita, reſolvi poſſunt quæcumque in oppoſitum objiciantur.

QUÆSTIO XXIX.

An Chriſtifidelibus liceat Veſtes deferre falſorum Numinum Imaginibus ornatas?

127. Reſp. non licere Chriſtifideli hujuſmodi Veſtem à Principe Idololatra acceptam publicè deferre; benè verò privatim accipere.

128. Pri-

128. Prima Pars patet. Quia in Regno ubi viget Idololatria, deferendo Veſtem, illam dat intelligere ſe eſſe cultorem illorum Numinum, quorum Imagines etiam in Veſtibus affectat, uti faciebant Idololatræ Imperatores Romani, maximè Julianus Apoſtata; ergo, qui defert apud Ethnicos Veſtem, aut torquem Imaginibus Deorum inſculptas, proteſtatur falſam Religionem, ſicuti veram proteſtabatur Conſtantinus Magnus, qui Chriſti, aut Crucis ejus effigiem in vexillis deferebat, apud Baron. ad annum Chriſti 312.; ergo peccat adverſus Fidei Confeſſionem, maximè cum id faciat Principe Ethnico imperante.

129. Secunda Pars eſt perſpicua. Nam in tali caſu Catholicus, aut Miſſionarius rem accipit, uti donum pretioſum à Principe benevolenti collatum, non uti cultûs teſſeram; eo pacto, quo etiam inter Catholicos donantur, & recipiuntur ſimulacra Deorum veterum non in argumentum cultus, ſed uti munera pretioſa, ob artis excellentiam, & Imaginis antiquitatem.

130. Ex eo autem quia apud Chriſtianos in clypeis, & armis imagines Minervæ, Mercurii, aut Jovis inſculpantur, nihil officit, cum notum ſit, id fieri ad ornamentum, non ad cultum; quod non contingeret in caſu expoſito: hoc tamen à Doctoribus reprehenditur, apud Bonac. tom. 2. diſp. 3. quæſt. 2. punc. 3., cum Azor. Reginal. & Aliis, etiam ſi fiat ad hoſtes decipiendos.

QUÆ-

QUÆSTIO XXX.

Utrum liceat Catholico Supremum Ethnicorum Sacerdotium acceptare, abſque ullo onere illud exercendi.

131. RESp. non licere. Nam ſupremum Sacerdotium ex natura ſua intrinſeca eſt ad Religionem, cui famulatur, ordinatum, tanquam Dignitas Suprema, etſi numquam exerceatur; ergo, qui Supremum Sacerdotium Idolorum acceptat, externe falſam illam Religionem proteſtatur, cui idem Sacerdotium deſervit. Et profectò ſi quis Infidelis occultus Epiſcopatum apud Chriſti Cultores acciperet, utique cenſeretur Catholicam profiteri Religionem, etſi munus per alios ſolummodò exerceret, uti faciunt plerique Germaniæ Epiſcopi magni ſimul Præſules, & Principes; ergo, qui accipit Summum Sacerdotium Idololatricæ ſuperſtitionis eam externè profitetur, & reus eſt negatæ Chriſti externæ Confeſſionis.

132. Neque excuſat exemplum quorumdam Chriſtianorum Imperatorum, qui dignitatem hujuſmodi tenuerunt, nec fuere reprehenſi, ut Conſtantinus Magnus, Jovinianus, Valentinianus: hi enim non ita callentes Chriſtianam diſciplinam, armiſque potius dediti, quam Ritibus Religionis, non adeo ſubtiliter rem inſpexerunt, quoad ſpeciem minimè noxiam: Gratianus tamen à D. Ambroſio edoctus hujuſmodi Dignitatem repulit, quod adeo Gentilibus diſplicuit, ut eum nudare Imperio ſint minitati, Maximo exaltato, dicterium illud jactantes: *Si Gratianus non vult eſſe Pontifex, erit Pontifex Maximus*, apud Baron. ad an. Chriſti 383. Julianus

nus autem Apoſtata quid mirum eſt Pontificatum Gentilium accepiſſe, qui Chriſto abrenuntiavit, ut Idola coleret?

133. Cæterum exempla producta ad rem non faciunt: Illi enim Principes Orthodoxam Religionem profitebantur, & prophanos Ritus Gentilium inſectabantur: hinc conjici facilè poterat, Potificatum ab ipſis non Religionis intuitu, ſed ob politica motiva fuiſſe aſſumptum, & ob hanc ipſam rationem fortaſſe à Summis Pontificibus minimè reprehenſos: at in caſu noſtro Chriſtianus ille Vir privatus eam Dignitatem aſſumeret ad occultandam ſuam Religionem coram Infidelibus ibi regnantibus, ne Principi Ethnico diſpliceret, quod ſanè proteſtationem ſapit falſæ Religionis.

QUÆSTIO XXXI.

An Sæviente, aut imminente perſecutione, liceat vexationem pecunia redimere.

134. Reſp. licere in iis caſibus, in quibus fuga licita eſt. Hoc autem patet: quia nimirum, non magis declinatur perſecutio offerendo pecuniam, quam fugiendo, imò minùs: nam offerendo pecuniam Miniſtris Juſtitiæ, aut exploratoribus eorum, Fideles innoteſcunt, ubi ſunt; adeoque reipſa in eorum ſunt poteſtate: qui verò fugiunt, ungues Perſecutorum omninò declinant. Hinc latentes Fideles plerumque fuere capti, numquam extorres, niſi reverſi: at in omnium Catholicorum ſententia licitum eſt Fidelibus ad necem, aut vincula quæſitis, fugere, ut verbo Matth. 10. 23. exemplo Joan. 7. 1. & 8. 59. nos docuit Chriſtus; Apoſtoli

ſtoli verò non ſemel imitati ſunt Act.8. 12. 17. & alibi paſſim; optimèque Athanaſ. Apolog. de fuga ſua perpendit, quidquid oppoſuerit Tertul. lib. de fuga in perſecut. cap.5.; ergo licitum eſt pecuniam ſolvere ad effugienda vincula Infidelium: nullam quippe, neque implicitam Fidei negationem indicat, ſed potiùs virtualem Fidei Confeſſionem, ut optimè Cyprianus de Lapſis: *Qui interim cedit, non Fidem negat, ſed tempus expectat: nam forte qui non ſe cedit, negaturus remanſit.*

135. Ex his colligitur, poſſe Miſſionarios Magiſtratui, & Principi Ethnico munera præbere, ut nedum Fideles, ſed etiam Domus, & Eccleſiæ ſerventur à vexatione immunes, nec exercitia Religionis vetentur, quo pacto ſe Chriſtiani in Primitiva Eccleſia gerebant, exercitium Religionis à Magiſtratu Ethnico pecunia redimentes.

136. Quæres I., An liceat Interrogato de Fide uti æquivocatione?

137. Reſp. Si quis interrogetur à Publica Poteſtate, vel publicè, non poſſe uti: urget enim tunc Præceptum Fidem explicitè confitendi, niſi fortaſſe ſilentium in ſpretum Tyranni redundaret, & in contemptum falſæ Religionis: quo circa nonnullæ Hiſtoriæ, quæ adducuntur de hujuſmodi æquivocationibus apud Sanctos nonnullos uſurpatis, intelligendæ ſunt de illis, quæ ex circumſtantia aliqua explicabantur, & denotabant aliunde animi Confitentis in Fide firmitatem, quarum aliquas Lauræa tom.2. de Fide diſp.11. art.6. commmemorat, ſi vero quis à Perſona privata, & privatim interrogetur, ſicut ad reſponſionem non tenetur, ex D. Thoma 2. 2. Quæſt. 3. art.2., ita interrogationem eludere poſſe æquivocatione, reſtri-

ctio.

ctionem mentalem nequaquam involvente, ſcandalo tamen quocumque remoto, non videtur aliquibus adeo abſurdum.

138. Quæres II. An Miſſionariis liceat fugere, perſecutione imminente, aut ſæviente?

139. Reſp. licere quidem, quando nulla in Populum Fidelem ex fuga pernicies redundet, vel major Fidei ex permanentia jactura oriretur, ex D. Cypriano Epiſt. ad Clerum Romanum: ſecus verò ſi ſequeretur ſcandalum Fidelium, & Infidelium, vel aliud detrimentum Fidei Orthodoxæ: tunc enim, cum Miſſionarii Paſtorum munere fungantur, & Doctorum Religionis, graviter fugiendo delinquerent, etiam ſi mors certiſſima immineret, cum deberent exemplo Chriſti animam ſuam pro ovibus ponere.

QUÆSTIO XXXII.

An Miſſionarius adverſus externam Fidei Confeſſionem graviter delinquat, ſi requiſitus à Turcis, quid de Deo ſentiat, unum digitum erigat; à Neſtorianis verò, quid de Virgine cenſeat, eam Chriſtiparam appellet?

140. RESp. ad Primum Quæſitum affirmativè; quia erectio digiti unius apud Mahumetis Aſſeclas nedum ſignificat ita erigentem profiteri Fidem unius Dei rerum omnium Conditoris, verum etiam unicam tantum Perſonam in Deo exiſtere, quod eſt errorem Mahumetis, & Sabellii defendere tres Perſonas officiis tantum, non Perſonalitatum diverſitate diſtinguentium, apud Socrat. lib.3. Hiſtor. Ecclisiaſt. cap.5.; ergo, qui erigit unum digitum à Mahumetanis interpellatus, unum Deum in unica tantum Perſona ſubſiſtentem fatetur, & My-

Myſterium Trinitatis abnegat; ergo profitetur exterius falſum Dogma Fidei Catholicæ adverſum.

141. Neque dicas, erectione digiti ſignificare quidem unum Deum, non tamen cum aliarum Perſonarum excluſione: hoc enim impugnatur. Nam Mahumetani erectione illa digiti nedum unum Deum ſignificare intendunt, ſed excludere pluralitatem Perſonarum, quam irrident; ergo erectione illa digiti denotatur, non minus unicam eſſe in Deo Perſonam, quam unicam Deitatem; adeoque erectione illa digiti ſit exterior proteſtatio falſæ Religionis.

142. Ad ſecundum Quæſitum pariter affirmativè reſpondeo eodem fundamento. Nam apud Neſtorianos vocem *Chriſtotocon* ſignificari intenditur, Beatam Mariam Virginem purum Hominem peperiſſe, qui Chriſtus appellabatur; ergo, qui interrogatus à Neſtorianis aſſerit B. V. eſſe *Chriſtotocon*, aſſerit B. V. eſſe Matrem Chriſti in ſenſu Neſtoriano: ille autem erat ſenſus hæreticus, negans B. M. V. eſſe *Theotocon*, ideſt veri Dei Genitricem, ſed ſolummodò puri Hominis, licet ad conſortium Divinitatis ob munera Gratiæ aſſumpti; ergo, qui ita reſpondit, falſam exteriùs profitetur Religionem.

143. Neque quidquam prodeſt, erectionem digiti, & vocem *Chriſtotocon* vera ſecundum ſe deſignare, nempe Unitatem Dei, & B.M.V. erga Chriſtum Maternitatem: nam, etſi ſecundum ſe nullum errorem ſignificant, & præſcindere à Deo videantur, ſignificant tamen ex inſtitutione, & mente eorum coram quibus dicuntur, nempe excluſionem aliarum Perſonarum præter Patrem à Divinitate, & B. M. V. à Dignitate Deiparæ: hoc autem ſufficit ad fal-

ſam proteſtandam Religionem præcipuè in Apoſtolico Miſsionario, qui utpote Veritatis Promulgator eam non æquivocè, ſed apertiſsimè debet confiteri.

QUÆSTIO XXXIII.

An Miſſionarius interrogatus à Publica Poteſtate, vel etiam privata Perſona, utrum Monſulmanus, aut Muſſulmanus ſit, poſſit affirmativè reſpondere abſque præjudicio Confeſſionis?

144. RESP. negativè cum Poncio Noſtro Curſ. Theol. Diſp. 29. Quæſt. 8. Concluſ. 2., & tenent Azor., Malder. Becan., & Alii apud Bonac. Diſp. 3. Quæſt. 2. Punc. 3. Propoſ. 2. de Prim. Decal. Præcept.

145. Ratio eſt. Nam dicens ſe Monſulmanum, vel Muſſulmanum fatetur ſe eſſe illius Sectæ ſequacem, cujus nomen aſſumit, in eo ſenſu, in quo interrogatur, & ab omnibus accipitur: Nomen autem Monſulmani apud Turcas, Perſas, & alias Nationes ſignificat Mahumetis Sectatorem; ergo, qui ita dicit, fatetur ſe Mahumetis Sectatorem; ergo falſam exterius proteſtatur Religionem; adeoque graviter delinquit.

146. Neque officit Nomen Monſulmani Profeſſorem rectæ Fidei ſignificare: nam hoc verum eſt in mente Turcarum, non ſecundum ſe, cum ipſi falſiſſimam profiteantur Religionem, quam erroneè putant eſſe veram; quocirca ita dicens profitetur ſe ſequi Religionem, quam Turcæ putant veram, quæ tamen reipſa falſiſſima eſt, & abſurda; adeoque, qui tali voce reſpondet, nonveram, ſed falſam Religionem proteſtatur.

QUÆSTIO XXXIV.

An Catholicus Infidelem aggreſſorem ab ipſo petentem, ut Fidem ſuam explicet, interimens, reus ſit violatæ Fidei Confeſſionis, & homicidii?

147. RESP. non eſſe, ſi Infidelis aggreſſor ſit privata Perſona. Nam, etſi gloriosè faceret, non tenetur tamen Fidelis cuicumque de Fide ſua ſciſcitanti reſpondere, niſi aliqua ſpecialis cogat circumſtantia; ergo non peccat nolendo reſpondere, uti tenent plerique apud Sanchez Lib.4. Oper.Moral. Cap.4., & idcirco neque reus eſt homicidii, ſi aggredientem occidat: cum enim illa aggreſſio ſit injuſta, nec ſe tueri poſſit, niſi occidendo: occiſio illa contingit cum moderamine inculpatæ tutelæ; adeoque licita juxta communem Doctorum Doctrinam, quæ habetur de Homicid. Cap. *Significaſti*. Et eodem pacto dicendum eſſet, ſi aggreſſor vellet ab aggreſſo Fideli Religionem abnegari ob eamdem rationem.

148. Si tamen alio aliquo pacto periculum evadere poſſet, tunc utique reus eſſet homicidii, cum deeſſet moderamen inculpatæ tutelæ, ut optimè notat Bonac. de Reſtit. in particul. Diſp. 2. Quæſt. ultima ſec. 1. Punc.8.

149. Nec officit poſtulari rem juſtam: nam non poſtulatur juſtè, cum ad privatam Perſonam interrogare de Fide nequaquam pertineat, ſed ad Publicam Poteſtatem.

QUÆSTIO XXXV.

An Sacerdos Catholicus interrogatus ad detegendum, an confecerit in Azymo, vel Fermentato, ac reſpondens, ſe confeciſſe in Fermentato, cum revera in Azymo confecerit, adverſus Fidei Confeſſionem deliquerit?

150. Reſp., etſi officiosè ſit mentitus, non tamen adverſus Fidei externam Confeſsionem deliquiſſe.

151. Ratio eſt. Quia diverſitas Ritus minimè diverſitatem Fidei inducit, aut indicat, uti inter ipſoſmet Catholicos contingere videmus: conficere autem in Ayzmo, vel Fermentato eſt quid merè concernens Ritus diverſitatem; igitur Sacerdos dicens ſe in Fermentato confeciſſe, cum revera confecerit in Azymo, nequaquam adverſus Fidei Confeſsionem deliquit. Et eodem modo dicendum eſt, ſi quis coram Publicâ Poteſtate ſe negaret Latinum eſſe, cum revera exiſteret; negaret quippe Nationem, non Religionem.

152. Maximè autem ad rem facit, Schiſmaticos Orientales in Fermentato conficere, & propterea Latinos per contemptum appellare *Azymitas*: non enim hoc Catholicos à Schiſmaticis diſtinguit, ſed Schiſma, & alii errores; benè vero abnegaret, qui ſe diceret Jacobitam, aut Cophtum, aut Photianum, cum Religionem falſam, & Hæreticum dogma, aut Schiſma ſe profiteri confiteretur, cui Sectarii illi ſunt addicti.

QUÆSTIO XXXVI.

An Chriſtiani apud Indos commorantes quamdam illorum Faſciam ſuper humeros ſuos deferre poſſint, quin Confeſſionem externam veræ Fidei lædant?

153. RESp., Non poſſe. Quia numquam licet uti Veſtibus, aut ſignis falſæ Religionis proteſtativis, quin lædatur veræ Fidei Confeſſio, & propterea non licet ad hoſtes decipiendos uti vexillis, in quibus falſa Numina, vel Imago Mahumetis inſcribuntur, ex communi Doctorum ſententia apud Azor. to.1. Inſtit. Moral. Cap. 27. Delatio autem illius Faſciæ eſt hujuſmodi: nam Ethnici eam conſerunt Ritibus ſuperſtitioſis, & Sacris: Gentiles unius Sectæ ab aliis alterius Sectæ diſtinguit, & à Sacerdotibus defertur: tribus filis contexitur, quibus Ethnici illi trium ſuorum Numinum Cultum ſignificare intendunt; ergo delatio illius Faſciæ eſt proteſtativa falſæ Religionis; adeoque Confeſſioni externæ Fidei adverſa.

154. Nec officit, illam Faſciam eſſe primariæ nobilitatis teſſeram: nam ultra hoc dicit Cultum falſæ Religionis: nec ſolummodò Nationem, aut ſtatum Perſonarum, ſed Religionem quoque diſtinguit, quod ſanè non facit ſignum à Judæis delatum. Nec ſanè quiſquam diceret Crucem Equitum Sancti Joannis non eſſe proteſtativam Fidei Catholicæ, quo pacto ſe habet Faſcia illa reſpectu Ethnicorum.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXVII.

Utrum Chriſtifidelis ingrediens Templum Idolorum, aut Mahumeti dicatum immunitate gaudens, ut mortem ſibi propter ſcelera propria infligendam effugiat, adverſus externam Fidei Confeſſionem delinquat?

155. RESP. In tali caſu delinquere. Privilegium enim aſyli, ſeù refugii Templis minimè convenit ratione ædificii materialis; ſed quia Deo, aut in reipſa, vel in opinione colentium vero ſacrata ſunt: quæ immunitas à Laicâ Poteſtate ob eamdem rationem etiam Perſonas afficit Dei famulatui dicatas, de Cenſ. in 6. Cap. *Quamquam*, & Trident. ſeſs.25. de Refor. Cap. 26. Qui igitur refugium in Templo ſibi comparat, externè fatetur, Deo, & quidem vero eſſe dicatum; igitur externè fatetur, Idola, & ſimulacra Gentium eſſe vera Numina Templis colenda; igitur in Templis Idolorum refugium quærens externè falſam profitetur Religionem; uti non excuſaretur ab eodem crimine, qui ob metum mortis Veſtem Religionis diſcretivam aſſumeret, vel coram Idolis genufleĉteret, ex Commun. apud Sanchez de Præcep. Decalog. Lib. 2. Cap. 4., vel qui Sacerdotem Idolorum ſimulacra, uti fit apud Indos, deferentem ad mortem evitandam compleĉteretur, ſicut veram fateretur externè Religionem, & immunitate gauderet, qui ſe Sacerdoti Euchariſtiam deferenti agglutinaret, apud Bonac. de 1. Decalog. Præcep. Diſp.3. Quæſt. 7. Punc.4. Propoſ. 4. ergo, qui tenet Aram Idolorum, vel in eorum Templo conſiſtit ad aſylum obtinendum, revera delin-

quit adverſus externam Fidei Confeſſionem.

156. Doctrinam hanc minimè infringit, ex eo quod Palatium Regis Ethnici ingreſſus Catholicus pro immunitate habenda Fidei Confeſſionem non læderet: à voluntate Principum pendere Eccleſiæ immunitatem: Infidelem, qui aſylum quæreret in Eccleſia Catholicorum minimè profiteri Chriſti Fidem, alioquin non repelleretur, uti fieri debere, tradunt Doct. apud Layman. Lib. 4. Trac. 9. Cap. 4. n. 12.

157. Non primum, eo quia Palatium Regis prophanum eſt ex natura ſui. Non ſecundum: nam, etſi Ethnicus Princeps nequaquam largiri potuiſſet, verè tamen largitus eſt Templo Idolorum immunitatem, non ob motiva politica, ſed quia Sacer eſt locus, cui ex ratione ipſa debetur. Non tertium: revera enim Infidelis Chriſti Fidem externè profitetur, adeout neſcientes aliunde ejuſdem Infidelitatem, diſcernere non poſſent, an verè eſſet Infidelis; & propterea repellitur, ne decipiatur Eccleſia.

QUÆSTIO XXXVIII.

An Cives obſeſſi à Principe Infideli Miſſionarium ab eorum manibus erepturo teneantur eumdem tribuere, licet ipſius mors timeatur, abſque ulla falſæ Religionis proteſtatione?

158. RESP. Principe Infideli, aut Hæretico Urbem in odium Fidei obſidente, illicitum eſſe tradere Miſſionarium ab eo petitum, nec eum teneri ſe ultro offerre interimendum: ſi verò non fiat obſidio, nec petatur Miſſionarius odio Religionis, ſed ob fines politicos, poſſe tradi, eumque teneri ſe prodere.

159. Prima Pars patet: nam in tali caſu Princeps Infidelis, aut Hæreticus non voce quidem, ſed facto interrogat de Religione, cui facto correſpondenti ſatisfaciendum eſt: ſi autem traderetur Miſſionarius Fidem rectam annuntians, interimendus in odium Religionis, facto ipſo Fides Orthodoxa abnegaretur, eo modo, quo in Primitiva Eccleſia fiebat, qui petentibus Infidelibus Vaſa Sacra, Libroſque tradebant, abnegare cenſebantur; & propterea per contemptum, & Antonomaſiam *Traditores* appellabantur; ergo potiori jure abſque Fidei externæ Confeſsionis violatione tradi non poteſt Miniſter Evangelicus, Spiritus Sancti Vas animatum. Hinc S. Cyprianus Chartaginenſis Epiſcopus, numquam, ſęviente Valeriani perſecutione, adduci potuit, ut Clericos ſuos latitantes ad necem quæſitos revelaret, & propterea exilium indictum libenti animo accepit, atque adivit, apud Baron. ad an. Chriſti 260., ex Cypriani Epiſt. 78.

160. Miſſionarius quoque minimè tenetur ſe prodere Tyranno interficiendum: Martyrium enim non cadit ſub præcepto, ſed conſilio, niſi ſcandalum obſit Fidelium, aut Infidelium, aut reſultet ex oblatione magnus Deo honor, & argumentum, ac decor Orthodoxæ Religionis, uti notat D. Thom. Par.3. Quæſt.124. art.2. ad Primum, & Seraph. Bonaventura 3. diſt. 30. art. 1. Quæſt. 2., in caſu autem noſtro nulla ex his conditio haberetur, cum petatur, ut nece Miſſionarii Fides Orthodoxa extinguatur; & propterea fugere poteſt, & debet juxta monitum Chriſti Matth. 10. 23. *Cum perſequentur vos in Civitate iſta, fugite in aliam*; vel latere donec ira Tyranni defervescat, ut ſaluti Fidelium, ac Fidei conſulat incolumitati.

161. Secunda quoque Pars elucet, quam tenet Molina tom.4. tract.3. diſp.10. de Juſt., & Jure, quem alii ſequuntur. Nam Innocens eſt pars Reipublicæ: licitum autem eſt tradere partem pro conſervatione totius; ergo ſicuti in corpore phyſico ad illud ſalvandum, licitum eſt abſciſſionem partis nedum permittere, ſed curare; ita licitum erit pro ſalute Reipublicæ tradere Miſſionarium, qui ſi revera innocens eſt, ſanctiſſimè ſe prodit pro conſervatione Reipublicæ, ac Urbis; ſi nocens, juſtiſſimè proditur ob eamdem rationem.

162. Quod objici poteſt, nempe Innocentem non poſſe tradi ad mortem, nec quemquam poſſe cooperari neci ſui ipſius, nullius eſt momenti: nam quantum ad primum, verum eſt directè, non tamen indirectè ex cauſa juſta, non qua innocens, ſed veluti pars Reipublicæ; eo pacto, quo incluſi Innocentes aliqua in Turri, quam Obſidens juſtè Urbem, ut eam expugnet, proſternere debet, citra piaculum lethale occiduntur, non ut innocentes, ſed quia incluſi in Turri, quam hoſtis juſtè proſternit. Quantum verò ad ſecundum, illa cooperatio mediata, quam Miſſionarius præberet neci ſui ipſius, ob juſtam cauſam juſtificatur, ſicuti juſtificatur cooperatio eorum, qui in bello juſto, vel mandato Principis, vel ſponte dimicant, etſi prævideatur occiſio ipſorum, aut aliis periculis ob motiva Religionis, & publicam utilitatem ſe ipſos exponunt.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXIX.

An licite Miſſionarius Miraculum polliceatur Infideli petenti, dum, illo facto, converſionem promittit?

163. RESP., Secluſa ſpeciali Sancti Spiritus motione, non licere Miſſionariis Apoſtolicis Miracula polliceri.

164. Prima Pars patet. Nam Deo per internam inſpirationem efficaciter movente, nulla fit ipſi injuria, ſi promittantur Miracula: Fides quippè firmiſſima infunditur, qua munitis pollicitus eſt Chriſtus, etiam montes, ſi opus fuerit, transferri, Marc. 11.23. itaut dicatur huic monti: *Tollere, & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quod quodcumque dixerit fiat, fiet ei.* Ita Petrus, & Joannes Act. 3.7. Claudum à nativitate, Chriſti Nomine invocato, ſanarunt; & Apoſtoli Marc. ult. 20. Evangelium promulgarunt: *Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*; quod quidem eorum Diſcipuli, & Succeſſores, neceſſitate compellente, præſtarunt, uti in geſtis Eccleſiæ habetur; ergò, ſtante eodem Spiritus Sancti impulſu, etiam Miſſionariis Apoſtolicis licebit.

165. Secunda quoque Pars reſolutionis evincitur. Quia tentare Deum intrinſecè malum eſt, uti Theologi omnes docent, D. Thoma præeunte 2.2. Quæſt. 97., art. 1. & Scriptura Divina nos inſtruit; nam Deuter. 6. 16. habetur: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, & alibi paſſim; tentaretur autem Deus, ſi promitterentur Miracula, quoties Ethnici, aut Hæretici converſionem promitterent: nulla quippè

C 6 vige-

vigeret tunc neceſſitas; nam illa promiſſio oriri poteſt ex merà curioſitate; vel ſi ex corde prodeat, eſt omnino incerta, cum multi Miracula viderint, nec tamen fuere converſi, ſed potius indurati, ut in Perſecutoribus Eccleſiæ, ſive Idololatris, ſive Hæreticis conſtat: nec deſunt alia motiva, ut ſe convertant Infideles, quin Miracula videant. Hinc Chriſtus iis, qui ad confirmationem Doctrinæ ſuæ Miracula petebant, minimè ſatisfecit, Matth. 12. 39. & 16. 4. Joan. 2. 19. & alibi; ergò ob hujuſmodi Sponſionem converſionis non licet Miracula polliceri.

166. Deinde ab Ethnicis temere Miracula petuntur, cum ad eorum converſionem Chriſti Doctrina, ac Notæ ſufficiant Catholicæ Eccleſiæ ſatis propoſitæ, quibus plerique etiam doctiſſimi citra Miraculum ullum converſi ſunt, ut Juſtinus Martyr, Arnotius, Dionyſius Areopagita, & Alii quamplures: nec Apoſtoli ipſi ſemper Miracula in prædicatione adhibuerunt, ut patet Act. 10. 17., & alibi, Paulus quoque Romæ ſcribit ad Rom. 1. *Fides veſtra annuntiatur in Univerſo Mundo*, cum tamen nullum adhuc Miraculum vidiſſent: dejectio enim Simonis Magi falſis Miraculis Populos ſeducentis longè fuit Epiſt. ad Romanos, & Romanorum converſione poſterior, anno quippe Chriſti 68. illa contigit, cum Petrus ad Martyrium properaret, & ſui Pontificatus annos 24. jam complevisset, apud Baron. ad eumdem annum.

167. Accedit, Miracula non eſſe unicè ad Fidem propagandam neceſſaria; cum Judæi Miracula Chriſti, & Apoſtolorum, Gentiles ea, quæ à Concionatoribus Veritatis, & Martyribus fiebant, conſpexerunt, nec tamen convertebantur omnes, ſed ea magicis cantionibus, uti

uti Pharaò, quæ à Moyſe patrabantur, adſcribebant; & propterea uti Magi, & Incantatores Chriſtifideles ab Ethnicis traducebantur, atque occidebantur. Propterea Chriſtus Apoſtolis ſuis mandavit, ut ſi evangelizare volentes repellerentur, non Miracula ederent, ſed diſcederent, ut Lucæ 9. 5. habetur: *Quicumque non receperint vos, exeuntes de Civitate illa, etiam pulverem pedum veſtrorum excutite in teſtimonium ſupra illos.* Idipſum dicitur cap. 10. 11., & Apoſtoli ſunt executi Act. 13. 31., & 18. 6. imo Chriſtus poſitive Miracula denegavit Apoſtolis ipſis, anxiè petentibus, Lucæ 9. 55., & Judæis Matth. 12, 39. acri addita reprehenſione; ergo tametſi, aut promittatur converſio, aut tormenta indicantur, ut Miracula promittantur, promitti nequaquam debent.

168. Si autem inquiratur, quid in tali anfractu fieri debeat, Gentilibus Chriſtum blaſphemantibus, ejuſque impotentiam objicientibus.

169. Reſp. duobus modis procedi poſſe ex Branc. noſt. tom. 2. de Fide, diſp. 9. art. 7. 1. ut Infideles, qui Sectam ſuam veriorem jactitant, hoc ipſum Miraculo comprobare invitentur. Tunc enim vel à propoſito recedent, confitentes, Deos ſuos hujuſmodi poteſtatem non habere; vel ceſſabunt à Miſſionario requirere; cum non ſit major ratio, cur ipſi Religionem ſuam Miraculo probare non debeant, quam putant aut unicam, aut veriorem, quam Miſſionarius, aliis præter Miracula fundamentis fulcitus. Si verò nitantur Miracula facere, utique confundentur, cum juxta Tertul. de Præſcrip. alieni à vera Religione non ex mortuis vivos, ſed ex vivis mortuos efficiant.

170. Secundus modus eſt, ut ſi Hoſtes Fi-

dei

dei Miſſionarios inceſſere non deſinant, inducias poſtulent: interim verò negotium Deo commendent Oratione ferventi, cui pœnitentiam, cordiſque compunctionem adjungant, ut cauſam ſuam tueatur in diſcrimine graviſſimo verſantem: Chriſtus autem, qui Diſcipulis ſuis non ſibi, ſed ipſi fidentibus pollicitus eſt, cum ipſis futurum uſque ad conſummationem ſeculi, Matth. ult. 20., eorumque preces exauditurum, ſi ad ipſius gloriam juſta poſtulaverint, Joan. 14. 13. cum dixit: *Quodcumque petieritis Patrem in Nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio*, aut Gentilium furorem ſedabit; vel modum ſuggeret, vexationem declinandi; aut fidem vivam, & firmiſſimam largietur, qua muniti vera Miracula obtinebunt.

171. Eodem pacto ſi Pſeudo-Doctores magicis cantionibus, ac falſis Miraculis Populum decipiant, ſe gerere opus eſt; orationi enim ſervidæ inſtandum, ne tentationi huic, qua, ſi fieri poteſt, etiam electi falluntur, Populi cedant, monendo Deum promiſſionis ſuæ, ut nequaquam permittat, Homines, ſuper id, quod poſſunt, tentari; hinc enim vel oſtenta illa, omnia deſtruet, uti à Paulo cum Elyma mago Sergium Proconſulem à Fide diſtrahere nitente geſtum eſt, Act. 13. 8., vel Miraculo vero, & majori Fidem Orthodoxam firmabit, vel alio pacto neceſſitati urgenti occurret, quin compelletur Miſſionarius importunitati, aut improbitati Hoſtium Eccleſiæ ullo pacto indulgere.

172. Argumenta in oppoſitum nihil evincunt; Primum quidem, quod nimirum Infideles, niſi Miraculum videant, credere non tenentur, nec Dogmata propoſita eſſe vera, nec ea proponentem eſſe Dei Nuncium, uti non tenebantur Judæi Chriſto Domino credere, niſi Mi-

Miracula patraſſet; non videtur ſubſiſtere: tumquia motiva credibilitatis Myſteriorum Fidei à Miſſionario propoſita ſufficiunt ad efficiendos Infideles inexcuſabiles, niſi credant: tumquia Religio Chriſti eſt tutior, & reſpectu cujuſcumque Sectæ talis apparet, utpote Carni, & Sanguini repugnans, adeoque amplectenda, ratione ipſa naturali dictante. Idcircò autem ad convertendos Judæos Miraculis opus erat; quia Lex Judaica à Deo ipſo mediis Miraculis prodiit, & propterea aliis Miraculis oſtendi debuit à Deo ipſo rejectam, & antiquatam, ut novam introduceret.

173. Secundum, nempe ſola Miracula reddere Chriſti Religionem evidenter credibilem; alia enim motiva ſuas habent difficultates, & propterea ipſa ſolummodò à Miſſionariis adhibenda, & à Chriſto, Apoſtoliſque in praxi adhibita; non videtur convincere intentum: tumquia, etſi Argumenta quæ ex Notis Fidei Orthodoxæ Miſſionarius afferret non efficerent doctrinam, quam proponit, evidenter credibilem, ſed ſolummodò probabiliorem oppoſitâ, vel æquè probabilem, adhuc Infideles tenerentur eam amplecti, vel ſaltem de ſuæ Religionis veritate ambigere, ac ulterius inquirere, cum in mateira Fidei, à qua ſalus pendet æterna, medium tutius eſt inquirendum: tumquia licet Miracula fortiſſimum ſint motivum, quo vera Religio innititur, non tamen unicum, cum multi Viri præclariſſimi abſque ipſis converſi fuerint, & quotidiè convertantur, cæteris Fidei Orthodoxæ Notis bene perſpectis, quæ ſi difficultates ſuas habent, etiam habent Miracula, ab Infidelibus in ſiniſtram partem interpretabilia, ut notat acutè Auguſt. Lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. cæteræ verò Notæ Fidei Ortho-

Orthodoxæ ita ſunt perſpicuæ, ut à nemine, niſi protervo poſſint in dubium revocari; ergo nec citra temeritatem, & imprudentiam Doctrina, quam afficiunt, reprobari: tumquia, ex eo quia Infidelis prudenter Miraculum peteret, non propterea prudenter à Miſſionario promittitur: nam Ethnicus, non benè perſpectis, & intellectis cæteris Fidei Chriſtianæ Notis, haud imprudenter Miraculum peteret, non habens undè convincatur: at Miſsionarius imprudenter indulgeret, cum poſsit majori claritate, & amplitudine, atque robore fortiori eaſdem ipſi declarare; quo caſu vel illuminabitur Infidelis; vel ſi nolit ulteriorem adhibere diligentiam, eius ignorantia non eſt amplius invincibilis; adeoque nullo indigens Miraculo; vel ſaltem ſi neque hoc pacto ſuperari poteſt, orare Deum tenetur Magiſter Evangelicus, ut mentem Infidelis illuminet, vel alio pacto, prout ipſi placuerit, provideat, ac honori conſulat Fidei Orthodoxæ. Hoc agendi modo nec Deum temerè tentabit, nec Animas Infidelium, quarum pleraſque lucrabitur, fructu converſionis fraudabit.

174. Tertium; quod nimirum in ſententia Theologorum, apud Sanchez de 1. Decal. Præcep. lib. 2. cap. 34., non ſit Dei tentatio Miraculum polliceri, quoties urget vera neceſſitas, aut motivum honeſtum impellit, quale eſt in caſu Infidelis converſionem promittentis, ſi Miraculum inſpiciat, non videtur urgere: nulla enim apparet neceſsitas, cum incertum ſit, an, viſo Miraculo, Infidelis convertatur: multi enim Miracula vident, ut in antiquis Eccleſiæ Perſecutoribus patet, qui tamen in perfidia ſunt obdurati. Poteſt quidem Miſsionarius Deum exorare, ut neceſsitati imminenti

pro-

providere dignetur, Miraculum, ſi placuerit, efficiendo; non tamen polliceri citra Dei tentationem poteſt, cum nec provocatio Infidelium, eorum ſponſio converſionis, aut Tyranni minitatio nullam veram neceſsitatem inducant Miracula pollicendi.

175. In his ergo anfractibus Miniſtri Evangelici dono Miraculorum carentes, nec impulſum ſpecialem habentes ipſa à Domino poſtulandi, pericula hujuſmodi declinare prudenter debent, Infideles monendo, Deum Chriſtianorum Miracula, quæ petuntur, & longè majora, quippe Omnipotentem, efficere poſſe, ſi velit: at non eſſe nunc neceſſaria, cum Chriſti Religio ob ſui Sanctitatem, atque eminentiam abundè ſe manifeſtet; eo pacto, quo Pueri tres Hebræorum Babylonico Tyranno reposuerunt eos ad ſtatuæ ſuæ adorationem compellentis, atque ad Miraculum efficiendum provocantis, Daniel. 3. 17. *Ecce Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ò Rex, liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi, Rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus*: Infidelibus autem nequaquam quieſcentibus, tunc Oratione, ac jejunio fores Dei pulſari debent, qui proculdubio, aut tentationem auferet, vel dabit cum tentatione proventum.

QUÆ-

QUÆSTIO XL.

Utrum, Pſeudo-Doctore novam falſam Doctrinam ſpargente, teneantur Miſſionarii ſe illi opponere, ac Veritatem docere?

176. Reſp. Exiſtente, vel imminente Fidelium, ſive Infidelium ſcandalo, ac perverſione ob novum Dogma, quod inducitur, aut antiquum, quod nimis fervidè inculcatur, teneri Miſſionarios cum vitæ diſcrimine errores promulgatos refutare, ſi poſſunt, vel ſaltem, apertè Fidem confiteri, ſi verò nullum adſit periculum majoris perverſionis, aut ſcandali minimè teneri.

177. Ratio primæ Partis eſt. Quia Miſſionarii inter Ethnicos, aut Hæreticos degentes, Fidelium Duces ſunt, & Magiſtri, quibus onus incumbit recta docendi, paſcua prava à bonis diſcernendi, & Religionem Orthodoxam ab Inimicorum irruptione tuendi, quibus proinde dictum eſt Matth. 5. 13. *Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur?* Ergo, ſtante periculo imminentis corruptionis, & ſcandali Fidelium, aut Infidelium, tenentur occurrere etiam publicè, & cum vitæ diſcrimine, ſaltem explicitè Fidem confitendo, cujus Præceptum videtur in tali caſu urgere, uti multi affirmant, apud Sanchez lib. 2. cap. 4. Oper. Moral.

178. Nec refert, errores à Catechiſta Ethnico, aut Hæretico noviter promulgatos non afficere immediatè Fideles: damnum enim adhuc imminet: tumquia Infideles novo crimine infidelitatis inquinarent, & redderent ineptiores ad Fidem Orthodoxam amplectendam: tumquia niſi ipſi reſiſtatur, ipſi Fideles ſimpli-

ces

cès paulatim inficientur : tumquia etſi Fides Orthodoxa immediatè nequaquam impetatur, fit tamen indirectè : tumquia ſi ſpargerentur falſa Dogmata circa mores juri naturali, ac Divino repugnantia, hæc reſpiciunt etiam Infideles jure naturali, & Divino ſicut Fideles obſtrictos; ergo refutari debent, cum omnibus ſive Fidelibus, ſive Infidelibus ſint nociva.

179. Oſtenditur II. eadem Pars. Nam in tali caſu urget præceptum Charitatis, quo tenemur Proximo in extrema, vel ſaltem valdè gravi neceſſitate ſpirituali verſanti, etiam cum diſpendio temporalium bonorum auxiliari, ex D. Thom. 2.2. Quæſt.26. art.1., & Doct. Subtil. 3. Diſput.27. Quæſt. Unic. Fideles enim, & Infideles in eo caſu non habent unde facilè corrigantur; hoc autem onus maximè afficit Paſtores, quales in Miſſionibus ſunt Apoſtolici Operarii; ſicuti ergo, ſi adeſſet ibi Summus Pontifex, erroribus occurrere deberet, & Lupos, ſi poſſet, arcere, etiam cum vitæ diſpendio, juxta oraculum Chriſti Joan. 10. 11., & advertit Chryſoſt. Hom.59. in Joan., ita tenentur Miſſionarii, qui locum ejus in Miſſionibus quoad Miniſterium occupant, quocumque periculo non obſtante, prodire in publicum, ſeſeque murum opponere pro Domo Iſrael conſervanda.

180. Tandem magnus in tali caſu in Deum, & Chriſtum honor redundaret, ſi Catechiſta Ethnicus nova Dogmata in Fidelium, & Infidelium perniciem eructans, aut vetera nimium fervidè confirmans, & Fideles ſimul, atque Infideles in ſuum trahens errorem, robuſtè coram omnibus confutaretur, atque confunderetur; ergo in tali caſu tenerentur Miſſionarii etiam cum periculo vitæ ſe publicè prodere,

Magi-

Magiſtrum erroris invictè proſtraturi, ſicut alii Fideles in tali caſu tenentur Fidem Orthodoxam confiteri, diſcrimine mortis non obſtante, juxta tritam Div. Thomæ Doctrinam 2.2. Quæſt.3. art.2.

181. Secunda quoque Pars eſt perſpicua. Nam, ceſſante ſcandalo, & periculo perverſionis Fidelium, aut Infidelium, uti ſequeretur, ſi Magiſter ille nullo pretio haberetur, atque ab omnibus contemneretur; vel occurrendo ipſius erroribus nullus inde fructus ſperaretur, ſed ſola timeretur major Infidelium turbatio, tunc ceſſat motivum erumpendi in medium, & obligatio Fidei publicè confitendæ ſive in Miſſionariis, ſive etiam in gregariis Fidelibus, ut pluries ex D. Thoma dictum eſt; ergo in tali caſu non tenentur Miſſionarii Apòſtolici publicè ſe prodere, & errores illos coram omnibus confutare.

182. Quod objicitur contrà primam Partem, nempe Miſſionarios non eſſe Parochos, & Paſtores, & proinde non teneri ſe publicè opponere falſa Dogmatizanti cum vitæ diſcrimine, parum urget: quamquam enim non ſint in rigore Paſtores, ſunt tamen æquivalenter; mittuntur quippe à Summo Pontifice, ut Veritatem Evangelicam annuntient, eamque Populos doceant; ergo etiam debent errores confutare eidem oppoſitos ſub eodem periculo. Urget quoque Charitatis Præceptum Proximo ſubveniendi in graviſſima ſpirituali neceſſitate verſanti, etiam cum periculo vitæ, quod magis obſtringit publicam Perſonam, quales ſunt Miſſionarii Summi Pontificis Legatione fungentes, qui pro Communitate integra, & Populis multis ſalvandis miſſi ſunt, uti ſentiunt Malderus, Reginaldus, Aliique, quos

citat,

citat, & ſequitur Layman. lib. 1. Tractat. 3. cap. 3.

QUÆSTIO XLI.

Utrum Miſſionarius ſe in flumine cum Abyſſinis abluens, ut ſecuriùs lateat, contra externam Fidei Confeſſionem delinquat?

183. Reſp. breviter: Si Abyſsini; aut Æthiopes ter in flumine ſe abluant animo Baptiſmum repetendi, & Circumciſionem ſuſcipiant, ut in ea veluti Sacro ſigno ſpem ponant, quaſi Chriſtus nos ex Legis maledicto minimè eripuiſſet, ſicuti ipſi graviter delinquerent, Hæreſimque veram incurrerent, ita Miſsionarius eſſet reus falſi Dogmatis exteriùs profeſsi: errorem quippe exteriùs proderet ab Eccleſia damnatum. Ita docet Poncius noſter Cur. Theol. Diſp. 29. Quæſt. 8. Concl. 3. Hinc Canones adeo ſeverè omnem cum Hæreticis, & Infidelibus in re Sacra convenientiam interdicunt, ex Laod. cap. 6. 9. 33. Chartag. IV. cap. 72. Lucen. cap. 70.

184. Si verò Ablutio in flumine fiat ſolummodò, ut Baptiſmus Chriſti commemoretur, ejuſque inſtitutio, vel ſaltem indicatio celebretur; Circumciſio verò ſumatur non veluti Sacrum ſignum ad ſalutem æternam inſtitutum, vel teſſera Religionis, ſed potiùs, ut Natio illa à Davide deſcendens innuatur, nec malitiam ullam in ſe præciſe continere, quamvis modò inutilem, uti non errarent in Fide, quamvis juxta Eccleſiæ Diſciplinam haud benè agerent, ita Miſsionarius, aut Catholicus animo ſe tegendi eam ſuſcipiens, nullam falſam Religionem profiteretur, nec ullo pacto delinqueret; uti non delinqueret ob eumdem finem cibos ab

Eccle-

Eccleſia vetitos comedendo, ejuſdem præcepto in eo caſu nullatenus obſtringente.

QUÆSTIO XLII.

Vtrum Miſſionarius Mahumetanorum Jejunia; eorumque nonnullas cæremonias, ne ſe prodat, obſervans, adverſus externam Fidei Confeſſionem delinquat?

185. RESP. Omnes recenſitas actiones, niſi appareat ex modo agendi fieri à Miſſionario in obſequium Religionis falſæ, licitas eſſe.

186. Primâ Pars, nempe ſecundum ſe actiones illas eſſe licitas, patet. Nam jejunia, ablutiones, nudatio pedum, abſtinentia à carnibus, & alia his ſimilia ex ſe ſunt omninò indifferentia, cum ex ſe nullam inhoneſtatem dicant, & fieri poſſunt ob varios fines, imò fiunt etiam à Chriſtifidelibus, Ethnicis, Hæreticis, & Politicis, & quocumque hominum genere abſque ullo ad Religionem intuitu, ut v. g. ablutio ad ſe purgandum; abſtinentiâ à carnibus, & à vino, quia pecuniæ parci vult, & quia vinum nocet valetudini, vel ſtomachus abhorret, ut in Abſtemiis; ergo remotâ quacumque ad Religionem, quæ exteriùs appareat, relatione, cum in ſua indifferentiâ maneant, licita ſunt, etiamſi Adſtantes poſſent oppoſitum arbitrari, hanc enim falſam opinionem, cui juſtum motivum non præbetur, ob gravem cauſam poſſe permitti, docuit cum aliis Sanchez lib. 2. Oper. Moral. cap. 4.

187. Si verò exteriùs arguatur fieri in obſequium Religionis, ut v. g. ſi Miſsionarius aſſereret, ſe à vino abſtinere, carnes non comede-

medere, quia hæc à Lege, & Sectâ Religionis præſcribuntur: ſi Piſcinæ propè Templum, aut Idolorum, aut Mahumetis ſe immergeret, ut purior ingredi videretur, Sandalia in loci reverentiam deponeret more Ethnicorum, genua in eo flecteret, preces fundere ſimularet, tunc utpote proteſtativa falſæ Religionis hæc omnia reſpui deberent, cum denotent externè cultum Religioſum erga Idola, vel Mahumetem.

188. Hac diſtinctione ſolvi poſſunt plurimæ difficultates, quæ in hujuſmodi materia Miſſionariis accidunt, & cautè, ne deprehendantur cum detrimento Religionis Orthodoxæ, ab iis procedendum eſt.

QUÆSTIO XLIII.

Utrum Catholicus ad ſe à vexatione redimendum ſpargere poſſit, ſe coram Magiſtratu infideli Fidei Orthodoxæ abrenuntiaſſe, vel abrenuntiare velle, etſi revera minimè fecerit, aut facturus ſit, quin Confeſſionis externæ veræ Religionis violatæ ſit reus?

189. Reſp. non poſſe. Ducor: qui ſpargendo, ſe Fidem Orthodoxam abnegaſſe, aut velle abnegare, dat exterius intelligere, ſe illam cenſere falſam, & propterea ejurandam: hoc autem pacto falſæ fit exterius proteſtatio Religionis, & verè abnegatio; ergo in genere hoc graviter delinqueret. Et profectò Libellatici, de quibus D. Cyprianus Epiſt. 12., & 31. mentionem facit, minime Idolis ſacrificabant, ſed ſolummodo Schedam Magiſtratui Ethnico porrigebant, qua teſtabantur, ſe Religioni Chriſtianæ nuntium dediſſe, quod revera falſiſſimum erat, & tamen ut Fidei deſertores habe-

bantur, teſte Baron. ad an. Chriſti 153.; ergo idipſum dicendum eſt de eo, qui ſpargeret, ſe reliquiſſe, aut velle relinquere Fidem Orthodoxam.

190. Confir. Qui apud Infideles aſſereret; ſe velle converti ad Chriſtum, aut revera eſſe converſum, etſi falſum eſſet, ut verum haberetur, donec veritas pateret, & veluti à ſua Religione transfuga cenſeretur; ergo, qui ſpargit, ſe Chriſtum abdicaſſe, aut velle abdicare, tametſi falſum ſit, adhuc reus eſt cenſendus Religionis falſæ proteſtatæ,

191. Nec refert, Catholicum illum nec renuntiaſſe veræ Religioni, nec renuntiare velle: nam, etſi revera id minimè efficiat in re ipſa, dat tamen grave, & firmum fundamentum id opinandi: hoc autem ſufficit ad crimen incurrendum Religionis veræ exteriùs abjuratæ, ſicuti ſufficiebat Libellaticis, etſi Religionem Orthodoxam reipſa minimè reliquiſſent.

192. Inquires, an, ſæviente perſecutione, liceat Miſſionariis ſeipſos pecunia redimere, ne ad Tribunal trahantur pro Fide confitenda, ſi id minimè expedire putaverint?

193. Reſp. licere, ex Can.12. pœnit. Sancti Petri Patriarchæ Alexandrini. Evincitur enim ex Act.17.9. Jaſonem cum Paulo, & Sila captos à Judæis, pecuniâ fuiſſe abſque ulla cenſura redemptos; id enim non eſt Fidem negare, ſed pecunia vexationem redimere, atque periculo Fidei denegandæ occurrere, quod ſtultè Tertullianus carpebat de Fug. in perſec. ad Fabium.

QUÆ-

QUÆSTIO XLIV.

Utrum Miſſionarius indoctus à Tyranno necem minitante, niſi obtemperet, nec medio ad fugam occurrente, ad diſputandum de Fide cum Ethnicis compulſus, Diſputationem licitè polliceatur?

194. RESP. Etſi nedum Laicis, verumetiam Sacerdotibus imperitis ſub pœna excommunicationis ſit publica cum Ethnicis, & Hæreticis diſputatio interdicta Cap. 2. §. *Inhibemus*, de Hæret. in 6., & docet noſter Alphonſus de Caſtro de Juſt. Hæret. punit. lib. 1. cap. 19., adhuc tamen in tali caſu poſſe Miſſionarium Diſputationem publicam polliceri, ſi nullus Miniſter Fidelis, & doctus ſuppetat.

195. Ducor autem. Nam Chriſtus Dominus ſpopondit Matth. 10. 19., & Lucæ 12. 12. ſe cum Diſcipulis ſuis futurum, quoties ante Tribunalia, & Magiſtratus Infidelium ob Fidei cauſam trahi contingeret, verboque illis miniſtraturum, quibus non potuiſſent Adverſarii reſiſtere: at urgente metu mortis, quam Tyrannus indicit, & actione violenta Principis Infidelis, Promiſſio Chriſti videtur explorata, & ſe extendere ad caſum hunc, quando acies ordinata non ſufficit, ut Ethnicorum retundatur impudentia; ergo Miſſionarius hac ſpe confiſus, & hujuſmodi nixus promiſſione, certamen amplectens non peccat, nec Deum tentat, firmiſſimo Dei fretus auxilio, cujus cauſam tueri compellitur.

196. Ulterius licitum eſt etiam Viro indocto amplecti publicam Diſputationem ſpe firmiſſima Divini auxilii nitenti, quotieſcumque

eam reſpuere in ignominiam Religionis, ac Dei contemptum redundat: hoc enim nequaquam temerè facit, ſed juſta ductus ratione. Hinc Epiſcopus ille, quem Sozom: commemorat lib.1. Hiſt. Eccleſiaſt. cap.17., & Ruffin. lib.1. cap.3. ſimplex erat, & indoctus, qui tamen cum Philoſopho acutiſſimo, atque doctiſſimo Religioni Orthodoxæ inſultanti dimicare non timuit, eumque vicit, atque proſtravit; uti de altero ſimplici Laico narrat Socrates lib.1. cap.5. Hiſt. Eccleſ. ſimili victoria potito: at in magnam ignominiam Religionis Chriſtianæ, Chriſtique contemptum redundaret, Miſſionario etſi indocto Diſputationem publicam reſpuente: indicaret quippe, aut Religionem Catholicam adeo debilem eſſe, atque infirmam, ut niſi doctum, robuſtumque Defenſorem nacta ſit, exitium formidet, aut Deum Chriſtianorum minimè de ſui vero cultu ſollicitum; ac propterea non eſſe veram Religionem, quæ Deum vindicem non habet; ergo ad hujuſmodi ignominiam effugiendam Chriſti Salvatoris, cujus cauſa agitur, fretus auxilio, qui linguas quoque infantium fecit eſſe diſertas, poteſt Apoſtolicus Præco in hujuſmodi anfractu publicæ Diſputationi abſque labe peccati ſubſcribere.

197. Si quis autem ſciſcitetur, quid poſt promiſſæ Diſputationis calculum à Miſſionario fieri oporteat?

198. Reſp. Illum ferventiſſimis precibus, humilitate magna, mortificatione inſigni juxta vires ſuas, ac in cinere, & cilicio negotium Deo commendare, ipſumque monere promiſſionis ſuæ debere, qua pollicitus eſt in hujuſmodi anguſtiis, pro ejus honore ſuſceptis opem præbere: ac inde animo fidenti in publicum prodire.

199. Ex his ſolvitur Argumentum in oppoſitum. Quamquam enim gravis eſt culpa, ſtante cognita ineptitudine, nullaque neceſſitate compellente, onus importabile ſuſcipere, qualis eſt publica cum Ethnicis, aut Hæreticis Diſputatio non tamen delictum eſt, nec Dei tentatio, aggredi opus aliquod aliunde impoſſibile, dum ſperatur fundatiſſimè Divinum auxilium, quo difficultas omnis ſuperetur, ut contingit in caſu de Miſſionario indocto ſub pœna necis acerbiſſimæ à Tyrannis ad Diſputationem publicam coacto.

CAPUT II.

De Charitate.

200. PRæceptum Charitatis ampliſſimum eſt, & plures caſus complectitur, qui paſſim Chriſtifidelibus aut Miſſionariis inter devios à vera Religione verſantibus occurrunt, aut occurrere poſſunt. Nonnullos ex magis obviis, & communibus reſolvemus.

QUÆSTIO I.

An liceat Cauponibus Chriſtianis inter Turcas degentibus ad ſcortum exercendum ſecretiora cubicula præbere?

201. REſp. non licere. Habemus hoc deciſum à S. Inquiſit. Rom. ſub Urbano VIII. Tertio Kal. Auguſti 1630., ubi propoſitis Caſibus R.P. Longobardi à Sacra Congregatione tranſmiſſis, ad 12., ita reſpondit: *Non licere, hujuſmodi cubicula locare, maximè cauſa lucri, ſed ſolummodò ad vitandum aliquod*

 gra-

grave malum, mortis ſcilicet, vel mutilationis, vel verberum.

202. Et patet ratio. Caupones enim iſti ſunt cauſæ morales ſcortationum à Turcis commiſſarum, quæ ne dum Lege Divina, ſed naturali rigide vetantur, utpote ipſi directè oppoſitæ: nam niſi commodum illorum ſecretorum cubiculorum præberetur, nequaquam poſſent Infideles turpia illa patrare, cum alia deſint commodiora cubicula; ergo cooperantur illis criminibus Caupones; adeoque peccant adverſus Charitatem.

203. Neque excuſantur Fideles, ex munere Cauponis, quo funguntur, qui habitacula præbent communia, & ex ſe indifferentia: nam etſi ſecundum ſe ſint talia, non tamen reſpectu Turcarum, qui ea petunt ad ſcortum, quod abſque ipſis exercere non poſſent: alioquin liceret quoque parato ad homicidium comittendum enſem præbere, ſine quo hoſtem occidere non poſſet.

204. Lucrum quoque, quod inde colligitur, hujuſmodi cooperationem minime excuſat; cum ruina Spiritualis Proximi nequeat lucro temporali compenſari. Quamvis autem liceat ex juſta cauſa rem indifferentem præbere iis, qui eadem prævidentur abuſuri, juxta Sanchez, Valentiam, Leſſium, & Alios; non tamen ſufficit quæcumque, quoties peccatum abutentium Legi Dei, & Naturæ adverſatur, ut optimè cit. Sanchez lib. 2. oper. moral. cap. 7., ſed requiritur cauſa graviſſima, qualis eſt timor mortis imminentis, aut mutilationis, aut verberum, non vero lucri præciſe amittendi, prout Sacra Congregatio declaravit in cauſa præſenti.

205. Porro cubicula illa ſunt quidem venalia, & publica, non tamen ad finem hunc nefandum; alioquin Caupones à Turcis minimè

ob

ob finem hujuſmodi rogarentur: & propterea nonnulli admittunt, poſſe Meretricibus Domus locari, quia eas invenirent aliunde, adeoque excluditur concurſus in malum uſum earum, qui non excluditur, imò promovetur in caſu præſenti.

QUÆSTIO II.

An Chriſtianis remigibus liceat in Navigiis Infidelium adverſus Chriſtifideles directis laborare?

206. Reſp. poſſe, mortis, aut cruciatuum metu impellente. Hoc deciſum habemus à Sacra Congregatione de Propag. Fide ad Nonum P. Longobardi his verbis: *Patres deputati reſponderunt, actiones omnes indifferentes, de quibus in caſu conſultato quæritur, eſſe licitas*. Idipſum decrevit Sancta Inquiſitio Romana ad Nonum præfati Patris Longobardi; dum ait: *Non licet ſtrenuè remigare cauſa lucri, vel alicujus commodi temporalis in Infidelium Triremibus contra Chriſtianos, ſed ſolum poſſunt remigare, & alias actiones indifferentes facere ob metum mortis, vel verberum*.

207. Ratio eſſe poteſt, quia famulari Infidelibus in re indifferenti, nec mala, niſi ob improbitatem, & pravum finem eorumdem Infidelium, graviſſima cogente neceſſitate, ex ſe malum non eſt: remos autem ducere, & alias hujuſmodi actiones efficere, res eſt omninò indifferens ſecundum ſe, fitque mala ſolummodò ob pravam ducentium remigia Turcarum intentionem; ergo ſtante periculo mortis, & verberum, poſſunt Chriſtiani in poteſtate Paganorum conſtituti in eorum Navibus remigare, tametſi ad-

verſus Chriſtifideles dirigantur, quorum damnum minimè evitaretur, etiamſi Chriſtiani in Triremibus captivi nollent laborare, cum alii non deeſſent eamdem operam impenſuri; & ita ſentiunt Molina, Filiucius, & Alii apud Bonac. Tom.2. Diſp.2. Quæſt.4. punct.2.

208. Ob eamdem rationem non incurrunt in Bullam *Cœnæ* adverſus præſtantes auxilium Infidelibus latas: Lex enim Eccleſiaſtica cum tanto incommodo non obſtringit, ex communi Doctorum apud Maſtrium noſtrum Theol. Moral. Diſp.2. Quæſt.5. art.2., niſi adſit aliqua peculiaris circumſtantia, ut v.g. ſi ex remigagatione damnum aliquod peculiare Eccleſiæ, ac Fidelibus inſerretur, quod, negata remigatione, poſſet impediri; quæ tamen damna regulariter loquendo Captivos latent, quibus ſecreta ſua nequaquam ab Infidelibus aperiuntur.

209. Argumentum in oppoſitum, quod fieri poteſt, nempe Captivos remigando cooperari actioni intrinſecè malæ, ſcilicet Infidelium adverſus Chriſtianos perſecutioni, non convincit: ipſi enim efficiunt rem in ſe indifferentem, & ordinatam ad navigationem ex ſe non malam, qua tamen utuntur pravè Infideles in vexandis Fidelibus; quapropter non cooperantur rei intrinſecè malæ, ſed malæ ſolummodò ex pravo fine Infidelium. Hinc idololatriæ, & fornicationi nemo poteſt cooperari, quia malæ ſunt ex objecto, non ex fine ſolummodò: & propterea juſtè ab Innoc. XI. Propoſitio illa inter damnatas proſcripta eſt: *Famulus, qui ſubmiſſis humeris, ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam Virginem, & multoties eidem deſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat me-*

tu

ta notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

QUÆSTIO III.

An Præfecti remigum Chriſtianorum poſſint concaptivos ad ſtrenuè laborandum hortari, & Infideles juvare, etiamſi omnia fiant in Fidelium perniciem?

210. RESp. Non licere. Patet ex Decreto Sac. Congregationis de Propag. Fide ad Nonum P. Longobardi de Nono caſu: *Patres deputati reſponderunt &c. at laudare, exhortari, conſilium præbere, ut navigia comprehendantur Chriſtianorum, & ſimiles alias actiones eſſe peccata lethalia*. Idipſum habet ad eumdem Nonum Articulum Sancta Inquiſitio Romana: *Alios hortari ad ſtrenuè remigandum, laudare, vel contumeliis afficere, eſt omnino illicitum*.

211. Evincitur idipſum ratione: nam etſi remigatio ſit indifferens, ac in bonum, vel malum verti poſſet; attamen acceleratio ejuſdem eſt mala ex objecto, cum habeat pro fine Infidelium auxilium, & Chriſtianorum nocumentum; ergo laudare, hortari, negligentes contumeliis afficere, cum ſit immediatus influxus in damnum Chriſtianorum, malum eſt, nullaque circumſtantia cohoneſtandum, maximè cum Infideles id non præcipiant, ſed ex ſe faciant Præfecti Captivorum, ut ſibi Infidelium benevolentiam concilient.

212. Eadem ratione, ſub eadem pœnâ excommunicationis Bullæ Cœnæ, non licet docere Infideles, quomodo ſint declinandæ Naves Chriſtianorum, quomodo opprimendæ: hoc

enim eſſet auxilium Infidelibus immediatè præbere: ictus tamen Tormentorum poſſunt quidem effugere, ut vitam tueantur, non autem adverſus Chriſtianos immediatè dirigere: ſi tamen ictus Tormentorum hoſtilium effugiendo damnum inſigne Reipublicæ Chriſtianæ inferretur, Infidelibus victoriam obtinentibus, æſtimant graves Doctores, ut Sayrus in Clav. Reg. Lib. 3. Cap. 7. Layman Trac. 3. Cap. 12. & Alii ab ipſis relati, non licere ictus Chriſtianorum effugere bono publico Chriſtianorum, privato Captivorum prævalente.

213. Neque quidquam evincunt, quæ in oppoſitum adduci poſſunt. Quod enim remigatio ex ſe ſit indifferens, ac proinde licita, non infertur, ejuſdem modum licere: nam modus reſpicit directè victoriam hoſtium Fidei, non autem ſubſtantia; ac proinde peccant ad validiùs remigandum hortantes, non verò ipſimet remigantes. Ita ob eamdem rationem ſuggerere modum Naves Fidelium declinandi, aut eas demergendi peccaminoſum eſt: nam etſi poſſint ictus effugere Tormentorum, eoquia vitam propriam tueri fas eſt, jure ipſo naturali dictante, non tamen quærere utilitatem Infidelium, eos inſtruendo quomodo Fidelibus noceant, aut ſervent ſeipſos incolumes, quæ profectò induceretur, eorum Navibus ab aggreſſione Fidelium, ac ſubmerſione revocando.

214. Hinc patet, incurrere in Bullam Cœnæ, qui Bombardas explodunt, omniaque præſtant, quæ ab ipſiſmet Infidelibus in perniciem Fidelium præſtari ſolent.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An Captivi, aut alii Chriſtifideles opera ſua Infidelibus locare, vel impendere citra peccatum valeant?

215. RESp. licere. Ita Sac. Cong. de Propag. Fide ad 7. Dub. P. Longobardi per Deputatos ſuos reſpondit: *Fideles Captivi, qui ſive juſſu Dominorum, ſivè propria voluntate ex lucri gratia operationes ſuas navant, & locant etiam aliis Infidelibus, ac propriis Dominis in fabricandis Navigiis onerariis, aut militaribus, vel erudiendis Diſcipulis eadem arte, ut ſui laboris coadjutores, & ſublevatores habeant, liberantur ab omni culpa, dummodò ab eis nullum intendatur Chriſtianorum damnum.* Idipſum à Sanc. Inquiſit. Romana confirmatum eſt. De ſeptimo caſu: *Placuit omnibus interponi ibi, lucri gratia, ad evitandum grave damnum, & ad neceſſariam ſui conſervationem.*

216. Ratio eſſe poteſt. Quia omnes recenſitæ actiones ſunt ex objecto, & ex ſe indifferentes: Navium enim ædificatio, reſtauratio Arcium, & Fortalitiorum conſtructio, ſicuti ob varios fines ab Infidelibus intendi poſſunt, non autem ſemper in Fidelium perniciem, ita non involvunt intrinſecam malitiam, ſed ſolummodò, nec ſemper, ex operantium intentione; ergo hujuſmodi opera poſſunt Infidelibus locari, & præſtari à Chriſtianis ad vitam tranſigendam, alioquin nemo ex Chriſtianis poſſet aliquid operis ſivè Medicinæ, ſivè Chirurgiæ, ſivè cujuſcumque alterius artis Infidelibus ad vitam ſuſtentandam idoneis impendere, quod

tamen communi ſenſui Doctorum adverſatur apud Layman. Tract.3. Cap.12. Sanchez Lib.1. Moral. Cap. 7., & Alios ab iis adductos.

217. Falſum autem eſt, quod objici poteſt, ſcilicet omnia iſta in immediatum nocumentum Chriſtianorum, ac utilitatem Infidelium redundare. Tumquia actiones iſtæ in ſe ad perniciem Chriſtianorum non ſunt ordinatæ, cum ob varios fines fieri queant. Tumquia non ſemper ab Infidelibus ob ruinam Fidelium intenduntur, cum alios hoſtes habeant præter Chriſtianos. Tumquia datur juſtum motivum iſtius remotæ cooperationis, gravium ſcilicet malorum evitatio. Quod verò pro conſtructione, aut reparatione Templi Idolorum omnia hæc fieri nequeant, oritur, quia intrinſecè ad cultum Idolorum ordinantur, non autem conſtructio Arcium, aut Navium in perniciem Chriſtianorum.

QUÆSTIO V.

An liceat Vinum Turcis propinare eodem ebrietate abuſuris?

218. Reſp. licere Chriſtianis ob metum incommodorum, quæ ſibi veriſimiliter inferrentur, propinare Vinum Turcis, etſi abuſu prævìſo.

219. Moveor. Quia ob metum cadentem in conſtantem Virum licet præbere materiam, ex ſe indifferentem abuſuris. Hinc deciſum eſt à Sac. Congregatione Sanctæ Inquiſitionis, & Propag. Fidei, poſſe Captivos ob metum necis, aut verberum remigare in Triremibus etiam adverſus Chriſtianos concurſantibus; ergo etiam licebit Vinum Turcis propinare abuſuris,

ſuris, cum Vinum ſit res in ſe indifferens, nec præbeatur abuſuris, niſi ob gravia incommoda ſibi ex negatione veriſimiliter obventura.

220. Deinde ſivè Turcæ Vinum bibant, ſivè non bibant, ſemper peccant; nam bibentes Legem ſuam tranſgrediuntur; abſtinentes actum eliciunt falſæ Religionis; ergo eodem pacto Chriſtiani ſive miniſtrantes, ſive negantes delinquerent; hoc autem abſurdum eſt; ergo utrumque citra crimen efficere poſſunt: ſecus dicendum de Chriſtianis, qui præviderentur inebriandi, cum non eadem cogat neceſſitas.

221. Nec propterea dicuntur Chriſtiani Vinum Turcis propinantes eorum peccato cooperari. Tumquia præbent rem ex ſe licitam, & quidem ex gravi motivo, etſi ex errore Turcarum mala cenſeatur. Tumquia Turcæ conſcientiam erroneam facilè poſſent deponere, cum Chriſtianos videant Legis longè ſeverioris, & ſanctioris profeſſores Vinum abſque ullo ſcrupulo bibere, à quibus poſſent inſtrui de Legis hujuſmodi vanitate; quocirca non Chriſtianis, qui rem indifferentem, & ex ſe licitam præbent, & quidem gravi motivo impulſis, ſed ipſiſmet Turcis petentibus importunè, rem, quam ſtultè putant peccaminoſam, ſi aliquo pacto in hoc genere delinquitur, imputandum eſt.

QUÆSTIO VI.

An liceat Chriſtianis ab Infidelibus Juramentum exigere?

222. RESp. licere, juſta cauſa interveniente. Ita ſentiunt Covarr. Cap. *Quamvis pactum* Par. 1. §. 1. n. 7. Reginal. Lib. 18. & Alii

& Alii apud Bonac. Diſp. 4. Quæſt. 1. Punc. 13.

223. Ratio eſt. Nam licitum eſt petere rem licitam, juſtoque accedente motivo, etſi prævideatur peccatum in eo, à quo tradenda eſt, ſecuturum: hinc poſſumus, neceſſitate cogente, petere mutuum ab Uſurario pecuniam nullo alio modo, quam per uſuram daturo: à Parocho adminiſtrationem Sacramentorum, non niſi pecuniâ erogatâ tribuere volente: à Judice Juſtitiam reddere renuente, niſi ſtipe copioſa accepta: Juramentum autem exigere ex juſto motivo, eſt petere rem licitam ſecundum ſe; ergo licitum eſt illud exigere ab Infidelibus, etſi niſi ſacrilegè præſtare illud ſoleant; alioquin omnis humana Politia perverteretur, ſi quod ex juſto motivo exigitur, ob alterius malitiam poſſet denegari: hinc etiam apud Catholicos à Reis Juramentum Magiſtratus poſtulat, etiamſi noverit ab iis frequenter violatum iri, quia nimirum juſtum exigitur. Quod verò malè à Reis præſtetur, eorum improbitati tribuendum eſt.

224. Quod ergo in oppoſitum adduci poteſt, nempe rem malam poſtulari, dum Juramentum ab Infidelibus exigitur per falſa Numina, aut Prophetas habendum, ad peccandum quippe inducuntur; facile ſolvitur ex dictis: non enim res mala exigitur, ſed bona, & quidem neceſſitate compellente, neque exigitur ab Infideli Juramentum per falſos Deos, aut Prophetas; ſed ſolummodò permittitur, & prævidetur, ex pravitate tamen non petentis Fidelis, ſed ipſorum Infidelium profectum. Benè tamen verum eſt, Juramentum à Reis exigendum in Concilio Romano juſſu Benedicti XIII. ſublatum fuiſſe, & in poſterum vetitum adhiberi.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An Chriſtiani Infidelibus ſubjecti bellum adverſus Chriſtifideles indictum adire poſſint, & nocere Fidelibus in Exercitu Infidelium militantibus?

225. PRo reſolutione notandum eſt Primò, Infideles eſſe in duplici differentia. Alii enim etſi minimè ſint Baptiſmate initiati, violenter, ſed legitimè Regnis ſuis fruuntur, nec ullam tyrannidem in rebus Religionis, aut politicis exercent adverſus ſubditos ſivè Ethnicos, ſivè Chriſtianos. Alii verò violenter Regna rapuerunt, ac poſſident, nulla adhuc legitima præſcriptione inducta, Chriſtianoſque ſubditos dura premunt ſervitute, quos odio proſequuntur, eos omninò extincturi, aut ſubjecturi, ſi facultas accederet.

226. Secundò notandum eſt bellum adverſus Chriſtianos duplici titulo contingere poſſe. I. Ex motivo præciſo, vel ſaltem præcipuo Religionis, quam Princeps Infidelis cupit excindere. II. Ob finem merè politicum, puta quia Catholicus Princeps fidem violavit, aut damnum grave abſque juſta cauſa intulit, & rogatus reſarcire, Legatos audire noluit, & contumeliosè rejecit.

227. Reſp. Si Religio ſit belli motivum, numquam licere Chriſtianis ſivè ſubditis, ſivè liberis in Caſtris Infidelium adverſus Chriſtianos militare.

228. Ratio eſt. Quia bellum in cauſa Religionis eſt explicita ejuſdem profeſſio non verbis, ſed factis: numquam autem licitum eſt ſivè verbis, ſivè factis falſam profiteri externè Religio-

ligionem; ergo nec in Caſtris Infidelium militare, in quibus ſit expreſſa profeſſio tuendi falſam Religionem, quo circa præcepto de obediendo Principi temporali in conſcientia obſtringenti Cap. *Qui reſiſtit*, 11. Quæſt. 3. prævalet Præceptum Dei ſuperioris Principis jubentis Fidem ſuam ſervari incolumem, Cap. *Imperatores*, ead. Quæſt. 3.

229. Reſp. II. Fideles Principi Infideli juſtè dominanti in politico negotio, nec injuſtè bellum adverſus Chriſtianum Principem inſtituenti, ſi jubeantur, poſſe obtemperare, & militiam amplecti.

230. Ratio eſt. Quia Chriſtianus debet Principi obtemperare in omnibus honeſtis, & licitis, ſi legitimus ſit, etſi Ethnicus: Can. *Quid culpatur*, 23. Quæſt. 1. juſto autem bello Principe Infideli Chriſtianos aggrediente, juſtè ſubditi jubentur militare; ergo etiam Chriſtifideles parere tenentur: hinc in tali caſu non incurruntur cenſuræ in Bulla Cœnæ, ex Bonacde Cenſ. Bul. Cœn. Diſp. 1. Quæſt. 8. Punc. 3. Propoſ. unic. n. 2.

231. Dixi autem, *ſi jubeantur*, quia abſque juſſione minimè in Caſtris Infidelium ſponte fas eſt militare, vetantibus Summorum Pontificum Conſtitution. Clem. III. in Cap. *ſignificavit*, Joan. XXII. in Extravag. *Copioſiùs*: Chriſtiani enim ſunt membra Chriſti, cujus myſtici corporis alii Chriſtifideles participes ſunt, uti rectè monet Pignatel. Tom. 5. Conſul. 65.

232. Reſp. III. Si Princeps Infidelis ſit Chriſtianæ Religionis hoſtis, Regnaque, quibus imperat, injuſtè poſſideat, tunc ſi bellum adverſus Chriſtianos indicatur ſivè offenſivè, ſivè defenſivè, Chriſtiani ſubditi etiam juſſi

nul-

nullo modo dimicare poſſunt, etiam vitæ diſcrimine non obſtante.

233. Ratio eſt, Quia Princeps Infidelis præcipit rem injuſtam, nulloque fine cohoneſtabilem: cum enim injuſtè Regnum poſſideat, nec præſcribere valeat, cum ſit malæ fidei poſſeſſor, ſicuti ſubditis imperare nequit, ut pugnent adverſus Chriſtianos, ita nec ſubditi poſſunt obtemperare, quoque metu mortis non obſtante, alioquin in Bullæ Cœnæ cenſuras impingerent, ex Bonac. de Cenſur. Diſp. 1. Quæſt. 8. Punc. 2., & alii cum ipſo. Poſſunt quidem res indifferentes efficere, ut comitari Turcas, ferre ſarcinas, & alia hujuſmodi; non tamen percutere Chriſtianos, ſagittas emittere, explodere bombardas. Chriſtiani verò in Caſtris Infidelium licitè militantes, licitè quoque percutiunt, & occidunt alios Chriſtianos in aliis Ethnicorum Caſtris illicitè dimicantes, alioſque actus hoſtiles exercentes, eoquia membra ſunt corporis hoſtilis ſibi adverſantis injuſtè; ut ſcitè docent Leſs. de Juſt., & Jure Lib. 2. Cap. 13. Molin. Diſp. 122., etſi minimum quod poſſint, damnum inferre debeant, ſi noverint, eos non ſponte, ſed coactè ad bellum acceſſiſſe.

234. Objecta contra primam Partem nullius ſunt momenti: ſubditi enim tenentur quidem Principibus obedire juſta, vel ſaltem non apertè injuſta præcipientibus, non tamen apertè peccaminoſa, Cap. *Quid ergo*, 11. Quæſt. 3. militare autem adverſus Chriſtianos in cauſa Religionis eſt exploratè malum, Cap. *Imperatores*, eadem Quæſtione.

235. Ex eadem radice ſolvitur quod contra eamdem opponi poteſt, nempe ex metu cadente in conſtantem Virum, quo videntur excuſari ſub-

ſubditi militantes in Caſtris Infidelium: hoc enim verum eſt, in re non intrinſecè mala, & Legi Dei adverſa, non autem quando ipſi opponitur, uti contingit ſubditis Chriſtianis pro Infidelibus in favorem falſæ Religionis, aut odium veræ dimicantibus.

236. Quod opponitur contra tertiam Partem, nempe militantes in Caſtris Infidelium juſte adverſus Fideles pugnantium non deſinere eſſe Fideles, & membra Chriſti, non cogit: etſi enim membra Chriſti per Fidem exiſtant, fiunt tamen voluntate unum corpus cum Infidelibus, quorum ſtipendiis vivunt; igitur non læditur Charitas eos percutiendo, aut occidendo: non enim necantur quà fideles, ſed quà hoſtes, & Ethnici, quorum corpori in bello aggregantur.

237. Quæres I. Utrum habens Feudum ab Infidelibus cum onere perſonali accedendi ad bellum, teneatur cum diſerimine Feudum amittendi militiam recuſare, ſi bellum adversùs Chriſtianos geratur?

238. Reſp. Si Princeps Infidelis, à quo Chriſtianus Feudum accepit, Regna ſua juſtè poſſideat, ipſe verò ſit ſubditus, utique eum poſſe, & teneri bellum accedere, & actus hoſtiles exercere, etiam adverſus Fideles, bello juſto exiſtente, cum juſta Princeps ille præſcribat. Si verò Princeps Infidelis ſit Chriſtianorum hoſtis, & iniquè Regna poſſideat, bellumque proinde injuſtum appareat, Chriſtifidelem, ſive ſubditus ſit, ſive non, teneri etiam cum periculo nedum Feudi, ſed vitæ ipſius, hujuſmodi militiam recuſare, dat quippe operam rei ab intrinſeco illicitæ.

239. Eodem modo agere debet, qui habet Arcem ab Infidelibus ſibi traditam ad cuſtodiam.

diam. Nec officit fidelitatis Juramentum Principi Infideli præſtitum: ſicut enim invalidè juravit de re nimirum illicita, Cap. *Non eſt obligatorium*, de Reg. juris in 6. ita illicitè, ac ſtultè Juramentum ſervaret, de Jur. juran. Cap. *Cum quadam*.

240. Quæres II. Utrum Chriſtifideles non habentes unde ſe alant, poſſint militiæ Infidelium nomen dare, & ſe in albo militum deſcribendos curare?

241. Reſp. Poſſe adſcribi militiæ Infidelium adverſus alios Infideles dimicaturæ: in hoc enim nulla apparet malitia, à juſtitia belli præſcindendo. Si vero bellum geratur adverſus Chriſtianos, nullo motivo licitum eſt ſponte Infidelium militiæ adſcribi, Summorum Pontificum Bullis id expreſsè interdicentibus; nedum enim Charitati, ſed ipſimet juri naturali repugnat, membra ejuſdem corporis ſervari mandanti: Fideles autem ejuſdem corporis ſunt membra, ad Rom. 12. 4. unitate Baptiſmi, arctiùs, quam Fratres carnales, copulata, ergo ſponte, citraque neceſſitatem eos lædere in bello intrinſecè malum eſt. Neque excuſat alimentorum inopia: huic quippe aliis modis occurri poteſt; vel ſi occurri nequeat, morti potiùs, quam offenſione Fidei, & Charitatis vitam tueri, ſuccumbendum eſt. Ita reſolvit Pignatel. Conſul. cit. 65. Tom. 5.

QUÆ.

QUÆSTIO VIII.

An Famuli Chriſtiani poſſint in bello arma, & cætera neceſſaria metu mortis, aut verberum miniſtrare?

242. Reſp. Hujuſmodi Famulos neutiquam peccare, & proinde non incurrere Cenſuras Bullæ Cœnæ.

243. Ratio eſt. Quia in ſuo Decreto Sac. Congreg. de Propag. Fide ad Tertium P. Longobardi decidit: *Actiones omnes indifferentes, de quibus in caſu conſultato, eſſe licitas*. Quod quidem Sac. Inquiſitio Romana ad Nonum, ejuſdem P. Longobardi confirmavit, his verbis. *Solum poſſum remigare, & alias actiones indifferentes facere ob metum mortis, vel verberum*: Quæ verò à Famulis Infidelium, quà tales ſunt, præcisè fiunt, indifferentia videntur, ut arma porrigere, ſcalas admovere, aliaque ſimilia, præſtare, quæ famulatum reſpiciunt, non perniciem Chriſtianorum: hæc enim omnia fierent quoque, ſi bellum non adverſus Chriſtianos, ſed alios hoſtes fuiſſet inſtitutum; ergo ſicuti accedente metu mortis, aut verberum, non eſt illicitum remigibus Chriſtianis in Navibus Infidelium remos ducere, aliaque indifferentia præſtare; ita, eodem metu urgente, Famulis Infidelium adverſus Chriſtianos bellum gerentium non erit illicitum ea omnia efficere, quæ famulatum præcisè ſpectant, non auxilium Infidelium. Ita ſentiunt Molina, Sanchez, Caſtropalaus, & Alii apud Pignatel. Tom. 5. Conſul. 65.

244. Nec officit Decretum Innoc. XI. Propoſ. 51. inter damnatas proſcribens, qua dicebatur,

batur, poſſe à Famulo comitari Dominum ad pellicem accedentem, ſcalas admoveri, ſubmiſſis humeris ſuſtentari, & alias ſimiles actiones exerceri, ſi grave damnum recuſando timeatur: in illo enim caſu non urget metus mortis, vulnerum, & verberum, ſicut contingit in Famulis, & Captivis Turcarum, ſed ſolummodo gravis incommodi, quod non excuſat cooperationem ad crimen Domini ſui; eo magis quia, ſi dimitteretur, inveniret alios, quibus poſſet deſervire, vitamque tranſigere, quod Captivis, ac Famulis Turcarum non ita facile eveniret.

QUÆSTIO IX.

An Judex Chriſtianus ab Infidelibus poſitus ad regimen, teneatur ipſis crimina Chriſtianorum, quæ punire non poteſt, & machinationes, detegere?

245. Reſp. Teneri Judicem illum detegere crimina Reipublicæ, publicæque tranquillitatis everſiva, non autem alia: machinationes verò teneri detegere, quoties Princeps Infidelis juſta dominatione Regna ſua retineat.

246. Prima Pars patet: quia Judex ex munere ſuo tenetur publicæ tranquillitati conſulere, ad quam publicus Magiſtratus ordinatur; ergo, quoties ipſe non poteſt crimina publicæ quieti adverſa punire, debet Principi revelare, ut ipſemet proſpiciat, alioquin officio ſuo deeſſet, cui ad finem hunc fuit præpoſitus, niſi ſævities, qua Princeps Infidelis crimina Chriſtianorum ulciſceretur, adeo magna eſſet, ut ipſa non Juſtitiæ ſervandæ, ſed odio adverſus eos explendo conducere cenſeretur: tunc enim occul-

tare

tare ipſa potiùs deberet Principi non amore Juſtitiæ, ſed avaritiæ, & crudelitatis eſtu ſævè nimium mulctare volenti.

147. Dixi autem: *Non alia*: Quia quatenus Judex eſt à Principe Infideli electus, ea tantum crimina tenetur revelare, quæ muneri ſuo juſtè exercendo ſubjiciuntur: non autem ſubjiciuntur crimina Reipublicæ tranquillitatem, & Populi commercium nequaquam impedientia; ergo illa non tenetur revelare cum Chriſtianorum magno detrimento punienda.

248. Secunda quoque Pars patet: nam Principe Infideli Regna ſua juſtè poſſidente, juſtèque adminiſtrante, nullus datur juſtus titulus in Chriſtifidelibus ejus ſubditis machinationes inſtruere, ut Regno ipſum exuant, & Principi Chriſtiano exhibeant nullum jus in illud poſſidenti; ergo ſicuti Princeps Ethnicus legitime Regno ſuo potitur, ita nec ipſius Miniſter Chriſtianus eum enudare poteſt; ergo nec machinationes Chriſtianorum permittere, cum eidem fidelitatem, jure jurando interpoſito, ſit pollicitus, quam cæteri Miniſtri Principibus Chriſtianis pollicentur; quod quidem etiam Infidelibus ſervandum, Lex Divina, & naturalis præſcribit: adeoque conjurationes ipſi detegi debent, cujuſcumque etiam Principis Catholici contemplatione inſtitutæ.

249. Secus contingeret, Principe Infideli Chriſtianos vexante, atque injuſtè tractante, nec permittente vivere tranquillè. Tunc enim jure ipſo naturali dictante, ſicuti unuſquiſque indemnitatem ſuam licitè quærit, ita propulſat injurias, aut damnum ſibi illatum reparari contendit, dummodò fiat per legitimam Poteſtatem; ergo conjurationes Chriſtianorum adverſus Ethnicum Principem injuſtè ſubditos tractantem,

tem, non tenetur Magiſtratus inferior Chriſtianus impedire, aut revelare, cum ad propriam defenſionem tendant legitimè inſtituendam, & jure naturali permiſſam.

250. Quod verò adverſus ſecundam Partem objici poteſt, nempe Juramentum infidelitatis urgere, quod à promotis ad Magiſtratus exigitur, ad rem minimè facit: Juramentum enim obſtringit quidem promotos, ut nihil adverſus Principem moliantur, aut moliri permittant, Principe dominationem legitimè gerente: ſecus verò, Tyrannidem erga Chriſtifideles exercente, Fidemque Orthodoxam evertere nitente: quo caſu non videtur Juramentum violari, permiſſivè tantummodò ſe habendo, non detegendo ſcilicet conjurationes, quibus per legitimam Poteſtatem injuriæ arcerentur adverſus Religionem Orthodoxam inflictæ: malum enim ſolummodò permittitur adverſus Principem Ethnicum, & quidem ex graviſſimo motivo, non autem ejuſdem pernicies poſitivè promovetur.

QUÆSTIO X.

An liceat Chriſtianis dare Pueros ſuos, quos Turcæ ex ſubditis Regionibus colligunt, ut Reipublicæ propriæ miniſterio aptos efficiant?

251. RESp. non licere: Ducor autem: quia repugnat Charitati exponere Proximum periculo graviſſimo, ac pœnè inevitabili ſalutis æternæ, ac veræ Religionis deſerendæ, uti repugnat exponi ſemetipſum: hoc autem contingit in caſu; nam Pueri illi, quos Turcæ à ſubditis exigunt, in Palatio Turcarum Imperatoris collocantur: ubi nulla Spes adeſt Orthodoxæ Fidei Præcepta addiſcendi, imò Legis

Mahu-

Mahumeticę Dogmatibus imbuuntur,nec eis ullo pacto permittitur alterius Religionis præter ſuæ Doctrinam audire: exemplo quoque Infidelium, quos Magiſtros, Duces, & veluti Parentes habent, ad vitia ipſorum ſequenda, odiumque Orthodoxæ Fidei ferali quadam neceſsitate ducuntur; ergo in periculo pœnè inevitabili ſalutis æternæ Pueri illi ponuntur, manibus traditi Turcarum; ergo tradentes hujuſmodi Pueros graviter adverſus Charitatem delinquunt, jacturæ ſpiritualis, qualis eſt amiſsio Fidei, quam in Baptiſmo acceperunt, diſcrimen penes inevitabile inducentes.

252. Eo magis quia Parentes Chriſtiani tenentur Filiorum ſuorum curam gerere, quos ut ſibi proximiores magis dirigere tenentur, ita eos vitam ſalutis æternæ conſequendæ viam tutiorem docere debent, atque ab erronea revocare; ergo etiam hoc titulo contra Charitatem erga Filios delinquunt, iis tradentes, à quibus optimè noverunt in vim perditionis certiſsimè adducendos; ergo ſicuti, quocumque incommodo non obſtante, non poſſunt Parentes xponere ſeipſos periculo, in quo præviderentur morali certitudine in infidelitatem, & conſequenter in perniciem æternam lapſuri: ita non poſſunt quoque tradere Turcis Pueros ſuos, quos morali certitudine prævident in infidelitatem lapſuros, ac proinde vitam æternam amiſſuros, quocumque incommodo non obſtante.

253. Neque illos excuſat: quod niſi ſponte traderentur, adhuc tollerentur violenter à Turcis. Nam ſi violenter Pueros illos Infideles Parentibus eripiant, ipſi eorumdem perverſionis, atque perditionis nullam noxam incurrunt; cum, quantum in ipſis ſteterit, obſtiterint: Turcis ergo raptoribus violentis adſcribitur

per-

perditio Puerorum, non Parentibus invitis.

254. Minus urget, quod objici poteſt, nempe Innocentem Tyranno petenti ad necem tradi poſſe pro Urbis, aut Reipublicæ ſalute, etiam invitum, juxta Bonac. Tom. 2. Diſp. 2. Quæſt. Ultima Sec. 1. Punc. 7., alios adducentem. Tumquia, hoc incertum eſt, pleriſque refragantibus. Tumquia, tradendo Innocentem Tyranno, bonum ſolummodò temporale, nempe vita ipſius periculo exponitur, quæ aliquando eſt peritura: cum autem Pueri produntur Infidelibus, periculum vitæ ſpiritualis eorum incurritur numquam reparabile.

255. Tertium in oppoſitum, nempe Pueros Turcis tradendo, præberi ipſis, quod juſtè exigunt, infirmiſſimum eſt. Tumquia, non ſoli Turcæ Regionum Domini, ſed aliæ Barbarę Nationes hujuſmodi Pueros poſtulant. Tumquia, Turcæ injuſtè Regiones ſuas poſſident, adeoque etiam injuſtè Pueros exigunt. Tumquia, etſi Regna ab ipſis occupata legitimè poſſiderent, ſicuti Pueros ob finem perverſum eos in falſa Religione educandi, aut iis ad ſcortum fruendi injuſtè poſtularent, ita nullo pacto licitum eſt eos petentibus exhibere: obedientiam enim erga Principem in re notoriè mala nequaquam obſtringere, docuit optimè cum aliis præfatus Bonac. de Leg. Diſp. 1. Quæſt. 1. Punc. 7. §. 3.

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

An Chriſtiani Captivi licite dono, vel pretio recipere poſſint merces à Piratis direptas?

256. RESp. poſſe. Habemus hoc deciſum per Patres Deputatos à Sac. Congr. de Propag. Fide pro ſolutione Dubiorum Patr. Longobardi ad Quintum, & Sextum, his verbis: *Patres Deputati exiſtimarunt, Bona Chriſtianorum à Piratis capta, poſſe Fideles abſque noxa mortali, & onere reſtitutionis, emptione, venditione, donatione, & alio quocumque legitimo titulo accipere, & in proprios uſus convertere, non obſtante, quod ſint in bello injuſto capta*. Quod quidem ab Univ. Inquiſit. Rom. 1630. firmatum eſt ad Quintum, & Sextum, ejuſdem P. Longobardi.

257. Ratio eſſe poteſt. Quia non peccant aut contra Charitatem, aut contra Juſtitiam. Non contra Charitatem; eoquia utiliter gerunt negotium illius, ad quem Dominium rei raptæ pertinet, è manibus Infidelium eas auferendo, & transferendo ad Fideles, cum onere reſtituendi, ſi ipſe Dominus certus compareret. Non contra Juſtitiam: nullus enim certus apparet Dominus; ergo ſicuti cætera Bona incerta emi, vendi, ac diſtrahi poſſunt, & recipi, ex Ponc. noſt. Soto, Medin. Navar., quos cit. Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 3. Quæſt. 3. art. 1. n. 52. ita fieri de mercibus, quæ à Piratis accipiuntur, uti tenet Leſs. de Juſt. & Jur. Lib. 2. Cap. 21. Dubit. 18. n. 37.

258. Argumenta in oppoſitum nulla ſunt. Quod enim opponitur ab hujuſmodi merces

emen-

ementibus furto Piratarum cooperari, ac emi res alienas, non urget: nam, quamvis ipſi non emerent, aut reciperent res illas, adhuc diſtraherentur, nec direptio Piratarum ullo pacto deſineret; neque res alienæ, vel furto acceptæ, in ſenſu formali aut emuntur, aut dono accipiuntur, ſed res Domini incerti, quas liberè diſtrahi poſſe, tradit communis Doctrina apud Abell. de 7. Decal. Præcep. Sec. 1. §. 4. Ponc. noſt. Curſ. Theologic. Diſp. 51. Sec. 5., eoquia in tali caſu jure Gentium dominium transfertur.

259. Inquires, an comparente Domino, res illæ diſtractæ reſtitui deberent?

260. Reſp. debere in tali caſu res raptas reſtitui, at pretio recuperato: cum enim utiliter res Domini ementes geſſerint, non debent citra culpam ſuccumbere, pretium amittendo, uti Qualificatores ipſi Sanc. Inquiſit. Rom. dixerunt: nec mirum eſt à Domino res ſuas emi, cum deſierint eſſe ſuæ: dominia enim interdum, etiam Domino invito, trasferuntur.

QUÆSTIO XII.

An Divites Chriſtiani Turcis ſubjecti peccent renuentes dare pecuniam, niſi lucro interveniente?

261. RESP. Divites Chriſtianos, ſi contractu aliquo legitimo, ex quo ipſi lucrum licitum referant, pauperibus indigentibus ſuccurrant, ſatisfacere Charitatis Præcepto.

262. Ducor autem: nam tunc impletur Charitatis Præceptum, quando ſuccurritur indigenti hic, & nunc: verè enim tollitur illa neceſſitas, qua premebatur: at Divites præfati verè ſuccurrunt pauperibus indigentibus hic,

hic, & nunc pecuniâ numeratâ, ut Turcarum tributa ſolvant, & Familiæ neceſſitatibus ſatisfaciant, etſi eam præbeant lucrum licitum referentes: non enim abſolutè indigent, cum vineas, animalia, vel artem habeant, quibus vitam ſuſtentent, ſed ſolummodo hic, & nunc; ergo quamvis lucrum aliquid interveniat, adhuc Pauperum neceſſitati ſufficienter ſubveniunt; adeoque impletur ab eis Præceptum Charitatis.

263. Confirm. Strictiùs urget Præceptum Charitatis Proximo ſubveniendi in extrema, quam in gravi ſolummodò neceſſitate verſanti, ut ex ſe patet, & docent Doctores: at etiam in extrema neceſſitate poſſumus interdum Præcepto Charitatis ſatisfacere mutuo, aut commodato, aut aliis legitimis contractibus, juxta communem ſententiam; ergo multo fortiùs gravi ſolummodo neceſſitate urgente poteſt impleri Præceptum Charitatis, pecuniam tribuendo pauperibus per contractum aliquem licitum, quo lucrum aliquod referatur, uti docet Layman lib.2. Trac.3. cap.6.

264. Si tamen pauperes abſolutè pecunia indigerent, nec haberent unde neceſſitati hujuſmodi ſatisfacerent, utique Divites tenerentur abſque ullo lucro, imo abſque ullo motivo pecuniam exhibere, urgente tunc Præcepto Charitatis, uti tradit cum Aliis Ponc. noſt. diſp.32. de Præcep. Charit. concl.6., ubi citat plures Patres Baſil. Chriſoſt. Niſſen., & Alios.

265. Ex his ſolvitur quidquid in oppoſitum objici poteſt. Præceptum quippe Eleemoſynæ obſtringit quidem gravi pauperes premente neceſſitate, quoties alio pacto nequit iis occurri, ac de illo caſu Patres loquuntur, dum Eleemoſynæ neceſſitatem exagerant: at non urget adeo

ſtri-

ſtrictè, quoties aliis mediis poſſunt pauperes, propriæ neceſſitati ſubvenire, quin gratis, vel ſaltem abſque lucro pecunia ſibi præbeatur. Hortandi quidem ſunt Divites,ut Eleemoſynam in illis caſibus liberaliter largiantur, non tamen compellendi, quaſi Divinæ Legis, ſi ſecus egerint, violatores.

QUÆSTIO XIII.

An Miſſionarius arte medica pollens peccet non curando infirmum, etſi ex curatione magnus Animarum fructus prævideatur?

266. RESp. Peccare. Ducor. Quia tenemur ex Pręcepto Charitatis Proximo ſuccurrere in gravi neceſſitate conſtituto, quoties nullum nos urgeat incommodum ſaltem grave: alioquin quomodo ſervabitur, quod inculcat 1. Joan.3. 18. *Filioli non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate?* eſtque communis, quam ſequitur Maſtrius noſter Theol. moral. Diſp.10. Quæſt.3. art.2. n.56. atqui ægrotus gravi obſtringitur neceſſitate, nullo alio Medico ibi exiſtente; ergo Miſſionarius tenetur ſubvenire ſub gravi noxa: adeoque renuens graviter delinquit.

267. Accedit omiſſio boni magni ſpiritualis, quod ex curatione redundaret: hoc autem grave in Apoſtolico Miſſionario piaculum eſt, qui, ad bonum Eccleſiæ Orthodoxæ, & Fidelium inter hoſtes Fidei verſantium utilitatem, promovendam à Sede Apoſtolica mittitur; ergo renuens venire ad ægrotum curandum ob fines aliquos particulares graviter adverſus Charitatem delinquit.

268. Quod autem objici poteſt, ægrotum il-

lum nec extrema, nec gravi admodum neceſſitate laborare, parum officit: ſufficit eam eſſe gravem, ſive ſpiritualis, ſive corporalis ſit, cui citra incommodum poſſet ſubveniri, maximè à Miniſtro Apoſtolico, quem Charitatis Leges ſeveriùs obſtringunt, & bonum ſpirituale, quod ab ipſo totis viribus in medio Nationis pravæ promovendum eſt, ſperatur obtineri. Nec opus eſt ab ægroto acceſſiri: ſufficit, neceſſitatem innoteſcere, cui facile, ſaltem cum probabilitate poſſit ſubveniri.

QUÆSTIO XIV.

An Miſſionarius non accedens ad miniſtranda Sacramenta, ſaltem neceſſaria proximè morituris, ob contagionis contrahendæ timorem, graviter adverſus Charitatem delinquat?

269. RESp. Si nemo adſit, qui neceſſitati morientium occurrat, & nihilominus detrectet accedere, peccare graviter contra Charitatem.

270. Ducor autem. Quia in articulo, aut diſcrimine mortis conſtituti extrema, vel ſaltem graviſſima neceſſitate premuntur auxilii ſpiritualis per Sacramenta miniſtrandi: neceſſitate autem graviſſimæ ſpirituali Proximi tenentur omnes, ſed præcipuè Paſtores, etiam cum vitæ diſcrimine ſubvenire: hinc eos, peſte graſſante, recedere non poſſe, ſed teneri Sacramenta miniſtrare, docent Valentia, Malderus, Reginaldus, & Alii, quos adducit, & ſequitur Bonac. de 1. Decal. Præcept. Diſp. 3. Quæſt. 3. punc. 5. Sac. quoque Congregatio decrevit apud Paſtor. Miſſion. Joannis Veruix. Ord. Prædic. trac. 14. art. 8. Miſſionarii verò, nedum Fideles

ſunt,

ſunt, ſed gerunt vices Paſtorum ad munus hoc à S. Sede ſpecialiter delegati; ergo renuentes Sacramenta miniſtrare neceſſaria proximè morituris ob metum mortis, graviter delinquunt.

271. Dixi autem: niſi adſit, qui ſuccurrat: in tali enim caſu, ſicuti ægroti extrema non detinentur neceſſitate, ita cum diſcrimine vitæ ſuæ non compellitur Miſſionarius ægrotanti ſubvenire: Hinc Sacra Congregatio Præfata decidit, quod in tali caſu *Miniſtrent Parochianis peſte confectis Sacramenta Pœnitentiæ, & Baptiſmi per alios*.

272. Ex his ſequitur, etiam cum diſcrimine vitæ Infantibus in extremis degentibus, ſi nullus alius ſuppetat Miniſter, Baptiſmum conferri debere, quod quidem etiam Catechumenis eodem periculo non obſtante tribui oportere, probabilius, & tutius exiſtimo.

273. Quantum verò ad extremam Unctionem, non videtur hoc cum tanto Miniſtrorum, qui pauci ſunt, periculo neceſſariò miniſtrandum, etſi non deſint, qui oppoſitum cenſeant, uti eſt citatus Auctor Paſtoralis Miſſionar. loco cit. Magis urget de Euchariſtiæ Sacramento, quod non ſolum Cibus, ſed Viaticum eſt migraturis: at paucitas Dei Miniſtrorum, qui deficientes, non ita facile ſubſtituentur, excuſare interdum illos poteſt, ne cum evidenti adeo periculo Euchariſtiam miniſtrent, ne cum uni, prodeſſe malint, pluribus in neceſſariis deeſſe compellantur, ſociis peſtilentiâ ſublatis.

274. Nec relevat quod in oppoſitum objicitur nempe actum heroicum virtutis ſub Præcepto non cadere, ſed ſub conſilio: prodere autem vitam ſuam pro peſte infectorum ſalute actus eſt heroicus Charitatis, juxta oraculum Chriſti Joan. 15. 13. *Majorem Charitatem nemo*

 habet,

habet, ut Animam ſuam ponat quis pro Amicis ſuis: Facile enim reponitur, etiam actum heroicum cadere poſſe interdum ſub Præcepto, qualis eſt Confeſſio Fidei coram Publica Poteſtate Chriſtifidelem interpellante, Lucæ 12. 9. *Qui negaverit Me coram Hominibus, negabitur coram Angelis Dei*, idque ſemper contingit, quoties urget Præceptum Divinæ Legis, cujus violatio numquam licita eſt, etſi vitæ periculum urgeat. Deinde, tametſi interdum actus heroicus Divina Lege præſcribatur, non tamen præſcribitur heroicitas, ut optimè Lauræa tom. 3. de Virt. heroic. Diſp. 32. art. 5. conſiſtens in motivo ſublimiori, promptitudine, atque delectatione in virtutis exercitio. Minus quoque urget, quod opponi poteſt, non dari nimirum extremam neceſſitatem Sacramenti Pœnitentiæ, cum actus contritionis perfectę videatur ſupplere, juxta Triden. Seſs. 14. cap. 4., id enim etſi verum ſit abſolutè: quia tamen actus contritionis præfectæ valdè difficilis eſt; propterea urget pene extrema neceſſitas Sacramenti Pœnitentiæ, qua morituri Deo reconciliantur medio tutiſſimo, faciliorique à Chriſto ad finem hunc inſtituto.

QUÆSTIO XV.

An Catholicus detrectans redimere Captivum Hæreticum, aut Infidelem converſionis ſpem præbentem, ne pecunia ſibi in negotiatione deficiat, graviter adverſus Charitatem delinquat?

275. Reſp. Non delinquere. Ducor. Quia lex Charitatis nequaquam cogit grave ſibi damnum inferre, aut notabilem detrahi

uti-

utilitatem, ut Proximo ſuccurratur, neque extremè, neque multum graviter indigenti, uti cum pluribus docet à ſe citatis Layman lib.2. tract.3. cap.5. Hæreticus autem ille, aut Infidelis neque extrema, neque gravi admodum neceſſitate laborat, ſive ſpirituali, ſive corporali. Non ſpirituali, cum alia media non deſint converſionis, quin redimantur à captivitate: abjuratio enim hæreſis, aut infidelitatis, imò cultus veræ Religionis cum ſervitute componuntur, ut in Captivis Catholicis optimè conſtat; & converſio illa ſub ſpe redemptionis ſuſpicionem potius inducit fictionis, quam veritatis certitudinem. Neque etiam corporali premitur neceſſitate, ut redemptionis neceſſitatem inducat; nam major non eſt illâ, qua cæteri Captivi premuntur, quæ tamen Catholicos minimè obſtringit, ut eos cum rerum ſuarum pernicie à captivitate eripiant; alioquin Præceptum adeſſet, omnes Captivos redimendi, quod ſanè nemo cordatus dixerit; ergo nullum datur Præceptum Charitatis Catholicum cogens, ut hujuſmodi Captivos redimat cum pernicie rerum ſuarum.

276. Si tamen citra grave incommodum poſſet Catholicus Captivos illos redimere, teneretur utique ſub mortali: Præceptum enim Charitatis urget ſubveniendi Proximo graviter indigenti, quoties citra incommodum noſtrum grave poſſumus, uti firmat cum communi Poncius noſter Cur. Theol. Diſp. 32. Quæſt. 3. Concl. 6. Hæreticus autem ille, aut Infidelis in gravi verſatur neceſſitate ſive ſpirituali, ſive corporali; ergo Catholicus citra grave ſui incommodum nolens eos redimere, graviter delinquit adverſus Charitatem.

277. Ex hucuſque firmatis ſolvitur objectio,

quæ poſſet inſurgere: nempe urgere Præceptum Charitatis Proximo ſubveniendi, quoties adeſt ipſi gravis neceſſitas, ſive ſpiritualis, ſive corporalis: id enim verum eſt, quando neceſſitas eſt talis, ut niſi ſubveniatur ipſi grave periculum pateretur, & nullo noſtri incommodo occurrere eidem liceret; ſecus verò, quando incommodum eſt grave, ſpes verò converſionis eſt incerta, nec neceſſitas adeo gravis, cui alio modo occurri non poſſit.

QUÆSTIO XVI.

An graviter adverſus Charitatem Miſſionarius delinquat, qui propter metum mortis omittit Catholicum corrigere aut lapſum in hæreſim, aut proximè lapſurum?

278. RESp. Si in lapſo ſpes converſionis, in lapſuro ſpes hæreſim evitandi præfulſerit, vitæ diſcrimine non obſtante, Miſſionarium correctionem omittentem graviter delinquere; ſecus verò, ſi ſpes nulla fructus appareat in correctione.

279. Prima Pars conſtat: nam Proximo in extrema, aut gravi neceſſitate ſpirituali laboranti ſubveniendum eſt, etiam cum vitæ diſcrimine ab iis, qui ex munere proprio ſpiritualibus præficiuntur, ex communi apud Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp.9. Quæſt.3. art.1. n.52. at Catholicus ille in hæreſim lapſus, aut lapſurus in extrema, aut ſaltem gravi jacet neceſſitate ſpirituali, cui nemo ſubſidium præter Miſſionarium ferre poteſt, qui eum ab errore revocet; Miſſionario autem cura incumbit Fidei Orthodoxæ in Miſſionibus tuendæ; igitur graviter delinquit, nolens eum aut erroris contracti corrigere,

aut

aut monere contractum; etſi periculum vitæ immineat.

280. Secunda quoque Pars eſt perſpicua. Nam ubi nulla eſt ſpes ſaltem probabilis, correctionem utilem futuram, Præceptum ejuſdem nequaquam urget, ex communi apud Layman lib.2. tract.3. cap.6. ergo neque tenetur Miſſionarius ad corrigendum cum vitæ diſcrimine Catholicum aut lapſum in hæreſim, aut proximè lapſurum, niſi ſpes correctionis effulgeat: ceſſante enim fine, ceſſat quoque neceſſitas media adhibendi.

281. Argumentum in oppoſitum non urget, nempe bonum commune quod ex vita Miſſionarii habetur, præferri bono particulari Catholici lapſi, aut lapſuri: utique enim ſi ex nece Miſſionarii ruina plurimorum prævideretur, permitti potius deberet perditio unius, aut alterius, quam plurimorum: at in caſu noſtro vitam ſolummodo corporalem comparamus Miſſionarii cum interitu ſpirituali, aut ejuſdem periculo Catholici lapſi aut proximè lapſuri: quo caſu dicimus teneri Miſſionarium etiam cum vitæ diſcrimine ad correctionem lapſi, aut lapſuri, ſi ſpes emendationis effulgeat: Paſtoris enim munere fungitur, qui Animam ſuam dare debet pro ovibus ſibi commiſſis, niſi circumſtantiæ aliud perſuadeant.

QUÆSTIO XVII.

An Catholicus letbaliter Charitatis Præceptum violet, videns captivum Chriſtianum Infidelium minis, aut illecebris fractum, Fidei abrenuntiare paratum, niſi redimatur, & nolens eum, erogatâ pecuniâ, vel ſeipſum in pignus tradendo, redimere?

282. RESp. Catholicum illum peccare quidem, alio quocumque opem non ferente, vel ferre non valente, pecuniam denegando, non tamen ſeipſum in pignus nequaquam tradendo.

283. Prima Pars patet. Nam Proximo gravi neceſſitate laboranti tenemur ſaltem ex ſuperfluis ſtatus ſubvenire, ex Ponc. noſt. curſ. Theol. Diſp. 32. Quæſt. 2., & Maſt. pariter noſt. Theol. Moral. Diſp. 10. Quæſt. 3. art. 2. cum Aliis, quos congerunt; ergo multò fortius, ſi neceſſitas ſit ſpiritualis: at Catholicus ille captivus in gravi ſpirituali verſatur neceſſitate, etſi non extrema; igitur tenetur alius Catholicus illi pecuniâ ſubvenire, ut à proximo perditionis æternæ diſcrimine eruatur; ergo negans graviter adverſus Charitatem delinquit, ſi facultas ipſi ſuppetat.

284. Secunda quoque Pars liquet. Nam Charitatis ordo in ſpiritualibus prius reſpicit noſmetipſos, quam Proximum noſtrum, itaut bona ſpiritualia prius nobis quærenda ſint, quam Proximo, & ruina ſpiritualis prius à nobis, quam à Proximo arcenda, ex D. Thom. 2. 2. Quæſt. 26. art. 4. & Doct. Subtil. 3. Senten. Diſtinct. 9. Quæſt. unic.; igitur non licet nos in periculo ſalutis æternæ conſtituere, ut Proximus

mus eruatur! Catholicus autem, qui ſe in pignus traderet Infidelium, ſe in æquali periculo conjiceret: æquè enim ipſum ærumnæ captivitatis, Infidelium illecebræ, ac voluptates ſæculi ab ipſis oblatæ pervertere poſſent; igitur non tenetur ſeipſum in pignus tradere.

285. Miſſionarii quidem ſtrictiori Charitatis vinculo adiguntur; niſi tamen robur in ſemetipſis experiantur, ut victoriam ſibi in agone ſpondere poſſint, eos quoque dicerem, non teneri; ſi enim ſuccumberent, majorem Animabus perniciem, Eccleſiæ verò ignominiam inferrent. Aliis ergo modis nutantem Fratrem confirmare ſatagant, & lapſum erigere, ſeque ipſos ſervent incolumes Eccleſiæ meliori modo famulaturos, & Charitatis Præcepta impleturos.

286. Quod verò objici poteſt, Captivum illum extrema, aut graviſſima neceſſitate nequaquam laborare, utique permitto: at gravis tamen eſt, & magna, ob quam ſaltem ex ſuperfluis ſtatus Eleemoſynam Catholicus erogare debet indigenti, imò ex ſuperfluis vitæ, ut cenſet Maſt. noſt Diſp. 10. Quæſt. 3. art. 2., tametſi Alii cum Bonac. contrarium ſentiant.

QUÆSTIO XVIII.

An Fideles occulti ex Charitatis Præcepto teneantur prodendo ſeipſos ſubvenire Catholico ab Infidelibus vexato, ne in tormentis à Fide Orthodoxa deficiat?

287. RESp. non teneri, niſi ſpeciali Divini Spiritus impulſu moveantur, aut vires in ſe ſufficientes inſpiciant, tormenta, mortemque ſuſtinendi.

288. Ducor autem ad primam Partem aſſerendam, quia Charitas ordinata jubet, mala ſpiritualia priùs à ſe, quam à Proximo arcenda, ſicut bona ſpiritualia priùs ſibi, quam Proximo diligenda; ergo non tenemur conſtituere nos in proximo periculo peccandi, ut inde Proximus eruatur: Chriſti autem Fideles propriæ conſcii infirmitatis, vel ſaltem de neceſſaria fortitudine dubii periculo ſe majori exponent Fidem abnegandi, quoties exteriori aliquo ſigno Catholicum nutantem firmare nitenturs Tyranno ferventiùs excandeſcente; ergo non tenentur ſigno ullo exteriori conſtantiam nutantis Catholici roborare, ſi ex illo prævideantur ipſimet quæſtioni exponendi, ac in Fide futuri ancipites.

289. Secunda Pars ſuadetur: Nam in tali caſu nullum periculum ſubeſt probabile labendi; ergo tenetur tunc Catholicus nuto, aut alio ſigno vacillantem Chriſti militem firmare; tunc enim vita ſolummodò corporalis diſcrimini exponitur propria, ut ſpiritualis Proximi incolumis perſeveret, uti fecerunt Vitalis, Sebaſtianus, & alii fortiſſimi Martyres, qui ob hanc ipſam rationem ſe martyrio obtulerunt.

290. Argumentum adverſus primam Partem, quod nimirum Vita ſpiritualis Proximi propriæ corporali ſit præferenda, nihil probat; cum ultro nos idipſum confiteamur: at hic comparatur periculum Vitæ ſpiritualis propriæ, cum periculo Vitæ ſpiritualis alienæ, quo caſu periculum Vitę proprię ſpiritualis alienæ præferendum eſt, atque de hoc diſputamus.

QUÆ-

QUÆSTIO XIX.

An Miſſionarius non cooperans fugæ Apoſtatæ ad Fidem converſi, aut Captivi Catholici, dum poſſibilis fiat, adverſus Charitatem delinquat?

291. RESp. Peccare, ſi facere id poſſit abſque gravi incommodo: ſecus, minimè.

292. Prima Pars patet. Nam tenemur Proximum avertere à periculo peccandi, ſicut noſipſos, quoties facile poſſumus; ut multi docent, quos ſequitur Laym. Lib. 2. Trac. 3. Cap. 6. Apoſtatæ autem recenter converſi, & Captivi Chriſtifideles laborant gravi periculo Fidei Orthodoxæ amittendæ: Apoſtatę enim cum Ethnicis coguntur verſari, blaſphemias adverſus Chriſtum, tecnas, & ſophiſmata Infidelium contra veram Religionem audire, moribus Ethnicorum famulari, ſæculique illecebris ſæpiùs irretiri; Captivi autem ærumnis, & calamitatibus longevæ ſervitutis magnopere concutiuntur, quæ mala facilè evaderent, ſi Chriſto obrenuntiarent; igitur tam Apoſtatæ converſi, quam Fideles Captivi in gravi periculo reperiuntur ſalutis æternæ; ergo potens citra grave incommodum eos eripere, ac renuens, graviter adverſus Charitatem delinquit.

293. Secunda quoque Pars conſtat. Nam Apoſtatæ converſi, aut Captivi neque extrema, neque valdè gravi neceſſitate premuntur: Apoſtatæ enim, ſi benè ſibi caveant, preſertim ubi Miſſionarii Apoſtolici degunt, ſervare optimè poſſunt Fidem Orthodoxam incolumem, donec opportunitas appareat fugam tuto capeſ-

ſendi. Captivi quoque, niſi ſpeciali quadam ratione vexentur, neque extremam, neque graviſſimam ſpiritualem, aut corporalem neceſſitatem patiuntur, cum pleroſque videamus eorum vitam, nedum corporalem, ſed ſpiritualem diù incolumem ſervare; ergo non tenentur Apoſtolici Miſſionarii eorum fugæ cooperari cum magno ſui, ac Miſſionis incommodo, atque diſcrimine, Charitate id minimè præſcribente, juxta Bonac. & Alios ab eo adductos de 1. Decal. Præcep. Diſp. 3. Quæſt. 4. Punc. 4. Propoſ. 2.

294. Quod I. Opponitur adverſus primam Partem, nempe Apoſtatas noviter converſos, & Captivos Fideles in extrema, aut quaſi extrema neceſſitate ſpirituali, & corporali minimè gravari; utique verum eſt: at non evincit non teneri Miſſionarium eorum fugæ cooperari, ſi citra grave incommodum poſſit.

295. Quod vero II. Opponitur, Jus Dominorum violari, Captivorum fugam promovendo, nihil evincit: hic enim ſermo eſt de Captivis injuſtè ab Infidelibus in ſervitutem redactis; ſi enim licet carcere juſtè detentis fugere, & eorum fugæ cooperari, juxta Molin. Tom. 1. de Juſtit. Trac. 2. Diſp. 37. cur non licebit injuſtè detentis, maximè Chriſtifidelibus Fratribus noſtris, nec id fieri liceret, ſi fuga ipſorum bono publico, Eccleſiæ Dei præjudicium ferret? Benè igitur omnia perpendenda ſunt, ut hujuſmodi fugæ promoveantur: at hic non prudentiam Miſſionariorum docemus, ſed quærimus, quid in jure liceat?

QUÆ-

QUÆSTIO XX.

Gentili, Hebræo, aut Schiſmatico neceſſitate laborante, cui primò ſubveniendum ſit, ſi uni tantum ſuccurri queat à Miſſionariis?

296. RESp. Schiſmaticum, aut Hæreticum Gentili, atque Judæo præferri oportere.

297. Ducor autem. Quia Schiſmatici, aut Hæretici ratione Baptiſmatis, quo fuerunt initiati, ſunt magis Proximi Fideli, quam Judæus, & Gentilis, qui ſolummodò glutine Naturæ eidem copulantur; ergo Schiſmatico, aut Hæretico prius ſubveniendum eſt, quam Gentili, & Hebræo, cum Lex Charitatis doceat proximiori auxilium deberi ordine ſervato, juxta S.Thomam 2.2. Quæſt. 26. art. 6., quem omnes Theologi ſequuntur.

298. Accedit, Eccleſiam imitari erga Filios ſuos Rempublicam Temporalem cum Civibus ſuis agentem, veluti ejuſdem corporis membris: at Reſpublica Temporalis prius juvat Cives ſuos, etſi devios, ac deſertores, quam omnino alienos; & propterea transfugas quærit ad Caſtra ſua reducere; ergo etiam idipſum facere debet Eccleſiæ Miniſter cum Hæreticis, & Schiſmaticis prius quærendis, & juvandis, quam Infidelibus eidem omnino extraneis.

299. Et hæc eſt ratio, cur Eccleſia in reducendis, & convertendis Hæreticis, & Schiſmaticis adeo inſudat: quia nimirum membra fuerunt corporis ſui myſtici, & adhuc ſunt in radice Baptiſmi, & membra vera eſſe poſſunt, ſi converti non renuant, ſi verò convertantur, ſolum-

ſolummodo reconciliantur, non verò Baptiſmate initiantur, & multoties Dignitatibus quoque, quibus gaudebant, integrè reſtitutis, ut eum Orientalibus fieri videmus: hinc Miſſionarius Apoſtolicus Infideli Baptiſmum petente, Hæretico reconciliationem, & utroque in agone mortis conſtituto, atque uni tantum ex his ſubveniri valens, Hæreticum reconciliare debet: hic enim utpote baptizatus habet jus quoddam erga Sacramenta ſibi miniſtranda, quo caret Gentilis, qui Baptiſmo Flaminis ſalvari poteſt, ſola ſcelerum ſuorum attritione, uti firmat Subtilis 4. Senten. Diſt. 4. Quæſt. 6. cum ſuis, & aliis pluribus, præcipuè ex Recentioribus, non verò Hæreticus Pœnitentia ſolummodo in Voto, niſi ex amore Dei perfecto exorta, ex Triden. ſeſſ. 14. Cap. 4., qui propterea damnaretur, negata abſolutione, ſalvaretur, conceſſa.

300. Ad primum in oppoſitum, quo dicitur Hæreticos, & Schiſmaticos cum Ethnicis natura eſſe æquales, perverſitate longè pejores, utpote, qui Eccleſiam graviter Hæreſi, ac Schiſmate læſerunt: utique verum eſt: at, quia Hæretici, & Schiſmatici in radice Baptiſmatis Eccleſiæ ſunt Filii, cæteri verò penitus alieni; propterea in æqualitate neceſſitatis prius his ſubveniendum, quam aliis: nec omnes omninò voluntariè læſerunt Eccleſiam, ſed ex errore multi, & ex præventione ab incunabilis ſumpta potiùs, quam pravitate peccarunt.

301. Id quoque, quod in confirmationem adduci poteſt, nempe Hæreſim, Hæbraiſmum, & Paganiſmum non differre, cum eidem objecto formali Fidei opponantur, adeoque Hæreticos, & Ethnicos indigentes eodem pacto, atque ordine juvari oportere; non videtur quidquam

quàm evincere! tumquia multi cum D. Thom. 2. 2. Quæſt. 10. art. 5. cenſent, tria illa membra infidelitatis, imò hæreſes ipſas juxta nonnullorum ſententiam, ſpecie diſtingui: tumquia falſa eſt conſeq. quamquam enim ex parte Fidei corruptæ omnes ſint æquales, attamen Hæretici, & Schiſmatici cum ratione Baptiſmi fuerint Eccleſiæ filii, retinent jus quoddam radicale in bona in eodem aquiſita, quæ revertentes poſſunt aquirere, quod non contingit in Judæis, atque Gentilibus.

302. Quæres I. Uno Hæretico ex electione, altero ex educatione, ac nativitate æquali neceſſitate laborante, quinam ſit præferendus, quoties utrique ſubveniri nequeat?

303. Reſp. Si de neceſſitate ſpirituali ſermo ſit, Hæreticum ex electione preferri oportere, cum in majori verſetur periculo perditionis æternæ: qui enim lacte Hæreſim ſumpſerunt, ignorantia plerumque invincibili excuſantur, ac propterea, niſi alium obicem ponant, ſalvantur, uti de Græcis ſuis aſſerit Papadopul. Prænot. Myſtag. R. 6. ſec. 7. Qui verò ex electione Hæreticis adhæſerunt, prætendere ignorantiam nequeunt, adeoque in mortis articulo conſtituti auxilio magno indigent ſivè interiori Divinæ Gratiæ, ſive exteriori Miniſtrorum Eccleſiæ, ne in æternum pereant.

304. Quæres II. Judæo, Turca, ac Indico Idololatra ſpirituali auxilio indigentibus, ſi uni tantum ſubveniri liceat, quis nam ſit præferendus?

305. Reſp. Regulariter loquendo, Gentilem præferri oportere: nam alii minus ad Baptiſmum ſunt diſpoſiti: Judæus enim, etſi Chriſtum colat in typo, uti notat D. Thom. 2. 2. Quæſt. 10. art. 5., ejuſdem tamen exiſtentis inſen-

inſenſiſſimus eſt hoſtis: Mahumetis quoque Diſcipuli Chriſtum, ejuſque Legem, & Aſſeclas odio proſequuntur: Gentiles verò nullam peculiarem cum Evangelica Lege ſimultatem habent, adeoque utpote magis ad eam diſpoſiti, cæteris præferendi.

QUÆSTIO XXI.

An Catholicus, aut Miſſionarius priùs ex Charitate conſanguineo Infideli, quam extraneo Fideli, ſi uterque neceſſitate ſumma laboret, ſubvenire debeat?

306. Reſp. Conſanguineum, etſi Infidelem, Fideli, non tamen Conſanguineo, præferri oportere.

307. Ratio autem eſt. Quia Charitas ordinata reſpicit magis propinquos, ſicut reſpicit magis noſmetipſos, quam alios: proprinquitas autem naturalis ſanguinis prior eſt, & ſtrictior proprinquitate per Gratiam: cum illa ſit ſubſtantialis, & prior, iſta accidentalis, & poſterior, in priori fundata; ergo plus diligendi ſunt proprinquiores ratione ſanguinis, quam Baptiſmi, & Gratiæ; adeoque proprinquior ſanguine priùs adjuvandus eſt, ſi indigeat, quam Fidelis proprinquus ſolummodò ratione Baptiſmi, & Gratiæ: alioquin, ſi Præceptum Charitatis ſolummodo ex Baptiſmo duceretur, nullus Ordo Charitatis daretur inter Baptizatos, quod tamen omnes Theologi cum: S.Th. 2.2 Quæſt. 26. art.6. condemnant.

308. Nec urget, proximitatem per Gratiam nobiliorem eſſe, utpote ſupernaturalem, propinquitate per naturam: hoc enim facit quidem in majori pretio habendam; non tamen in dile-

dilectione præferendam : nam ut ordo diligendi ſervetur, ordo integer naturalis antecedere debet, ut ſupernaturalis ſubſiſtat, in quo fundatur veluti in ſubjecto; bona ergo ſupernaturalia diligenda quidem ſunt, ſed relatè ad ſubjecta, quibus competere poſſunt, non omninò æqualiter, hoc enim eſſet inordinatum.

309. Quæres, An Amicus Infidelis, cui vitam debemus, priùs juvari debeat, quam Fidelis inimicus, vel cui nihil debemus?

310. Reſp. Ex hoc præciſè, quod Fidelis ſit inimicus, ipſi indigenti opem denegari non poſſe, juxta D. Thom. 2.2. Quæſt. 25. art. 8. & Doct. Subtil. 3. Diſt. 30. Quæſt. unic. Cæterum Amicus maximus Infidelis, propinquo Fideli, aut alteri, cui nihil debemus, videtur præferendus: vera enim amicitia conſanguinitati comparatur, cum Matrem Patri præferri oportere, ſi magis benefica ſit, doceant plures apud Bonac. de 1. Decal. Præcep. Diſp. 3. Quæſt. 4. Punc. 5. Propoſ. unic. n. 2.

QUÆSTIO XXII.

An Miſſionarius Infidelium furorem metuens, vel cupiens ſeipſum ſervare incolumem, ut Fideles cuſtodiat, aut Infideles convertat, Infidelium peccata diſſimulando, rectè agat?

311. Reſp. Miſſionarium peccata Infidelium diſſimulantem, ſi ſpes probabilis ſit emendationis, graviter peccare: nequaquam verò delinquere, ſi id faciat ſpe facilioris converſionis, & fuctus uberioris.

312. Prima Pars patet. Quia ſub lethalis criminis pœna iis, quibus Populorum crimina corrigendi cura incumbit, tenentur peccata

repre-

reprehendere, reoſque ipſorum monère, etiamſi mortis periculum immineat, uti cum communi Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 9. Quæſt. 3. art. 1. num. 52. & firmat cum pluribus Bonac. de 1. Decal. Præcep. Diſp. 3. Quæſt. 4. Miſſionarii autem ex deputatione Summi Pontificis curam habent, nedum Fidelium in Miſſionibus exiſtentium, ſed etiam Infidelium, quorum ſaluti, & correctioni vacant; ipſis quippe ſicuti Jeremiæ 1. 10. dicitur: *Ecce conſtitui te hodie ſuper Gentes, & ſuper Regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*; ergo etiam Infidelibus ex ignorantia juris Divini, & naturalis, aut ex pravitate voluntatis peccantibus, tenentur admonitione ſubvenire, uti tenentur ſubvenire Fidelibus etiam cum vitæ diſcrimine, ſi ſpes reſipiſcentiæ in ipſis appareat: hac enim deficiente, præceptum quoque correctionis evaneſcit, fine enim ceſſante, ceſſant media.

313. Secunda quoque Pars liquet. Nam Præceptum corrigendi errantes eſt affirmativum, nec pro ſemper obſtringit; adeoque ſi correctio prævideatur profutura Infidelibus alio tempore, atque circumſtantiis, differri poteſt, imò debet, ut ſaluti corrigendorum conſulatur.

314. Quod verò opponi poteſt, Miſſionarios non mitti ad peccata Infidelium impedienda, ſed ad eorum converſionem promovendam, Fideleſque cuſtodiendos in Fide Orthodoxa, nihil officit: nam Miſſionarii mittuntur quidem directè ad Evangelium promulgandum: at indirectè etiam ad impedienda Infidelium peccata, juri Divino, ac naturali adverſa, quæ honorem Dei lædunt, & converſionem ad Fidem aut retardant, aut omninò impediunt.

315. Minùs urget, quod II. Objicitur: nempe

nempe Infideles extrema non laborare neceſſitate, cum lumen naturale omnibus infuſum ſufficiat ad eorum peccata dignoſcenda: quamvis enim lumine naturalis rationis ſint præditi, Deique Gratia nemini deſit, valdè tamen obfuſcatum, & veluti oppreſſum eſt, etſi non omninò extinctum; ac proinde ſi non extrema, magna tamen correctionis neceſſitate premuntur, ut externa monitione illuminentur, quo pacto peccata minuuntur, & minùs inepti efficiuntur ad Fidei Lumen recipiendum.

316. Tertium quod opponitur, nempe Infideles non eſſe Fratres noſtros, utpote à Fide Orthodoxa alienos; & propterea ceſſare finem correctionis, leviſſimum eſt: nam, etſi non ſint Fratres noſtri vinculo Fidei, ſunt tamen tales vinculo Naturæ; habent quippe nobiſcum communem Parentem Deum: hoc autem ſufficit ad onus correctionis imponendum, cum juxta Doct. Subtil. 3. Diſp. 29. Quæſt. unic. teneamur ex Charitate diligere omnes capaces Æternæ Beatitudinis proximè, vel remotè, cujuſmodi ſunt Infideles.

317. Objecta contra ſecundam Partem facile ſolvuntur: quod enim omittatur correctio, nec tollantur offendicula Fidei promovendæ, cujuſmodi ſunt peccata permiſſa, utique malum eſt ſecundum ſe; non tamen ſpectato fine permiſſionis: correctio enim ſanctè omittitur, quando hic, & nunc prævidetur nocitura, ac magis profutura differtur: permittitur autem peccatum, vel quia impediri non poteſt; vel quia permiſſio præſens futuræ præcautioni magis proderit.

CA-

CAPUT III.

De Difficultatibus ad Religionem pertinentibus.

318. HUcuſque de Dubiis ad Fidem, & Charitatem ſpectantibus actum eſt, eoquia Virtutes Theologicæ ſicut præcedunt Morales dignitate, ita quoque ordine doctrinæ præcedere debent: nunc de difficultatibus Virtutes Morales tangentibus agendum. Quia verò inter Morales Religio, quæ Dei Cultum reſpicit, habetque pro objecto, ex S. Thom. 2.2. Quæſt.91. art.1. locum obtinet, de Dubiis ad eam ſpectantibus hoc in capite diſſeremus.

QUÆSTIO I.

An liceat diebus Feſtivis ligna aſportari, calceos texi, Miſſamque non audiri ob inveteratam conſuetudinem?

319. REſp. Hujuſmodi conſuetudines in Chriſtifidelibus tolerari non poſſe.

320. Ducor autem. Quia, nulla Lex poteſt præcipere Miſſam non audiri die Feſto, aut non abſtinere à ſervilibus, niſi adſit ſpeciale quoddam motivum, cum hæc ſint res bonæ, atque ad Cultum Dei ordinatæ; ergo neque dari poteſt conſuetudo, quæ altera eſt Lex, Cap. *Conſuetudo*, Diſt.1. hujuſmodi Legum abrogativa, nec tolli poteſt, niſi per diſpenſationem.

321. Secundò. Nulla inducitur legitima conſuetudo Legis derogativa, niſi Principe ſciente, & ſaltem tacitè, & interpretativè conſentiente, ex communi apud Bonac. de Leg, Quæſt.1.

Quæſt. 1. Punc. ult. num. 34. at Eccleſia, quæ hujuſmodi Leges tulit, numquam approbavit, aut approbat explicitè, vel implicitè, Miſſam Diebus Feſtivis non audiri, aut ſervilia exerceri abſque legitima cauſa, ut praxi ipſa videmus; ergo hæc conſuetudo ſuſtineri non poteſt.

322. Tertiò. Obſervatio Feſtorum præſertim Diei Dominicæ, etſi quoad dierum deſignationem ſit Lex purè Eccleſiaſtica; quoad ſubſtantiam tamen Divina videtur inter Præcepta Primæ Tabulæ contenta, ex D.Thom. 2.2. Quæſt. 122. art. 4. ad 1. D. Bona. 3. Diſt. 37. Dub. 3., & Quæſt. 3. in corp. Doct. Subtil. eod. Lib., & Diſt. Quæſt. 1. ergo, ſicuti conſuetudo introduci non poteſt Feſta non obſervandi, ita non poteſt ſuſtineri introducta; ſed ſolummodo cogente neceſſitate tribui poteſt diſpenſatio.

323. Nec officit, quod in oppoſitum objicitur, nempe auditionem Sacri Die Feſto, ejuſque obſervantiam abſtinendo à ſervilibus eſſe Legem purè Eccleſiaſticam, adeoque conſuetudine poſſe abrogari: hoc enim verum eſt ſolummodo in Legibus purè poſitivis humanis. qualis non eſt hæc, ſaltem quoad abſtinentiam à ſervilibus, uti dictum eſt, requiritur quoque conſenſus Summi Pontificis; ſaltem præſumptus, qui certè non habetur: Epiſcopi verò, aut Sacerdotes non reclamarunt, ex eo quia, vel nulli fuerunt inter barbara Regna degentes, vel perſecutione preſſi Infidelium, vitæ potiùs tuendæ, quam Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſervandæ vacarunt; quo circa hujuſmodi conſuetudo corruptela dicenda eſt, non vera conſuetudo legitimè introducta, ac proinde nequaquam toleranda, de Conſuet. Cap.*Cum ad noſtras*.

324. Si tamen Chriſtifideles Turcarum ſint famuli, haud ſpontanei, & diebus Feſtivis ita cogantur laborare, ut Miſſam audire nequeant, nec ſervitutem effugere, in tali caſu poſſent excuſari, cum Lex poſitiva Eccleſiaſtica non videatur in hujuſmodi anguſtiis obſtringere.

QUÆSTIO II.

An liceat Sacrum Oleum Baptiſmi, & Extremæ Unctionis Turcis ad Filios procreandos præbere?

325. Reſp. breviter abſque Argumentis: ſi Oleum Sanctum præcisè detur Turcis ad Filios procreandos, adeout Turcæ ipſo utantur abſque ulla ad Deum relatione, uti quodcumque aliud remedium prophanum adhiberent, non poſſe eis à Miſsionariis abſque peccato tradi. Sicuti enim aliæ res Sacræ in uſum prophanum tradi non poſſunt, multò minus Oleum Sanctum, quod Conſecratione Epiſcopi Sacratum eſt, uſui prophano tradi poteſt. Si verò Turcæ Oleum Sanctum adhiberent ad medelam quidem infirmitatum, non tamen veluti prophanum remedium, ſed veluti rem Sacram, ac Sanctam, qua applicata, confiderent, à Deo Omnipotenti meritis Chriſti Domini, quem ipſi Magnum Prophetam faciunt, Virumque Deo chariſsimum, atque Sanctiſsimum, ſalutem tribuendam, atque firma hujuſmodi ſanationis fiducia pollerent, non videtur adeo abſurdum à Miſsionariis hujuſmodi Oleum Turcis concedi, ſi citra magnum incommodum denegari non poſſet, monendo eos unicè Spem ſanitatis, aut procreationis Filiorum in Chriſto collocandam; ac proindè nec ſecretio-

tioribus partibus Oleum applicari oportere ob irreverentiam, cui exponitur, ſed aliis minùs ſecretis: ſicuti non videtur alienum à reverentia erga Oleum Sanctum, ſi membra infirmi eodem ungerentur à Viro Catholico, qui ſperaret fore, ut virtute Chriſti, cui unicè fideret, ab ægritudine ſua incolumis eriperetur.

QUÆSTIO III.

An Dies Feſti Infidelium, præſertim Feria ſexta apud Mahumetanos à Chriſtifidelibus citra culpam ſervari poſſint?

326. RESp. Non poſſe. Ducor. Quia obſervantia Feſtorum Infidelium eſt proteſtatio ſaltem implicita falſæ ipſorum Religionis: hinc omnis convenientia in Ritu cum Infidelibus, aut Hæreticis, ut tales ſunt, rigidè à Sac. Canonibus interdicitur, 26. Quæſt.7. Cap. *Non licet*, Cap. *Non obſervetis*: Feria autem ſexta eſt præcipuum Turcarum Feſtum; ergo illicitum eſt Chriſtifidelibus hujuſmodi Feſta ſervare ſivè perfectè, ſivè imperfectè.

327. Neque eos excuſat metus cujuſdam Dominicæ Venerandæ, cujus flagella nonnulli Populi Turcis ſubjecti, quales ſunt Albanenſes, reformidant: iſte enim metus ſtultus eſt, & errorem in Fide novum introducens, quaſi mala, quæ occurrunt, ipſi adſcribantur, ſicuti Deo malo, uti Manichæi faciebant, quorum meminit Epiphan. Hæreſ.72.

328. Neque peccatum tollit conſuetudo, quæ cum ſanæ Doctrinæ adverſetur, & bonis moribus ſit contraria, tollenda eſt, neque ita facilè excuſanda: ſuſpicio quippe vehemens urget, eam non tantum ex errore, quam ex ani-

mo Turcis placendi emanare, cum in veris Eccleſiæ Feſtivitatibus ſint Populi illi negligentes, in iſtis verò Turcarum adeo ſoliciti.

329. Objectio in oppoſitum, nempe illam Feſtivitatem eſſe antiquiſsimam, & à Paſtoribus permiſſam, nulla eſt: nam conſuetudo Juri Divino, atque Eccleſiaſtico contraria numquam præſcriptionem inducit, de conſvetudine Cap. *Cum tanto*, Cap. *Ex Parte*. Idcircò autem à Paſtoribus admittitur, quia impediri non poteſt: toleratur ergo, non permittitnr.

330. Quæres I. An Miſsionarii Apoſtolici teneantur Populos monere hujuſmodi pravæ conſuetudinis, & oneris, quo Chriſtiani obſtringuntur; Feſta, & cæterà Eccleſiæ Præcepta ſervandi, etiamſi eos prævideant minimè profuturos?

331. Reſp. Teneri, uti Sacra Congreg. Sacr. Inquiſitionis Rom. firmàvit anno 1656, 1674. Miſsionariorum Sinenſium Dubia reſolvens, & decidens, Miſsionarios debere *Sinas docere Veritatem, & manifeſtare eorum errores, & Jus poſitivum Eccleſiaſticum; quoad jejunia, obſervantiam Feſtorum, Sacramentalem Confeſſionem, & Communionem ſemel in anno eſſe à Miſſionariis Sinenſibus Chriſtianis notificandum, ut obligatorium ſub peccato mortali*; ergo etiam alii Miſsionarii debent Populos monere hujus pravæ conſuetudinis, & obligationis obſervandi Præcepta Eccleſiæ, etſi prævideantur minimè profuturi: Miſsionarii enim Apoſtolici ſunt publici Veritatis Præcones, quam publicè, & omnibus annuntiare debent, nullo ad particulares caſus habito reſpectu. Ita firmant Adrian. Reginal., & Alii apud Bonac. Tom. 2. Diſp. 3. Quæſt. 4. Punc. 7. Propoſ. 2. n. 8.

332. Quæres II., An poſsit tolerari abuſus

Alba-

Albanenſium in Feſtis ſervandis, quibus candelas in conviviis accendunt, in honorem Sanctorum, & B. M. V., & crateres bibunt vini optimi?

333. Reſp. Poſſe tolerari, cum in his nullus error, aut ſuperſtitio appareat: moneri tamen debent, ne Feſta ebrietate corrumpant, & ære alieno nimiis expenſis ſe gravent, ob quas debita, tributaque neceſſaria ſolvere non poſſunt. Inſuper Miſſam audire compellendi ſunt, & neceſſaria Religionis opera implere. Quas conditiones ſi ipſi reſpuant admittere, profecto nec convivia ſunt permittenda uti illicita, non quidem ex objecto, sed ex circumſtantiis.

QUÆSTIO IV.

An poſſint ſuſtineri Albanenſium ſequentes conſuetudines?

334. POſtquam Matrimonia contraxerunt, Sponſam domum ducentes ſuper limen januę craterem vini ponunt ab ipſa vertendum; eam ſuper limen ſedere faciunt, ut maſculos pariat. Si quis, nemine præſente, moriatur, digitos ei manus amputant, atque cor è pectore avellunt. Cum quis è vivis eripitur, feretrum pro eo ex ligno viridi conſtruunt, quod, tradito ſepulturæ Defuncto, in fruſta conſcindunt. Fores Domus quamvis latas auferunt, ac poſt Cadaver ignem deferunt. Eumdem ferunt ignem cum infantem ad Baptiſmum adducunt. Dies, horas, tempus, animalia, aliaque ſimilia diligenter obſervant, hiſque fidem adeo firmam habent, ut conſuetudinem violare piaculum arbitrentur. Morbos curant inſufflationibus, verbaque ſacra vanis, & fabuloſis

admiſcent: neque hæc peccata cenſent, ſed remedia ad valetudinem conſervandam, ac reſtituendam, cum Medicis careant.

335. Priuſquam Quæſtio reſolvatur, I. Ex tritiſſima doctrina ſupponendum eſt, duplex dari cum Dœmone pactum: explicitum, cum quis ſciens, & volens mediatè, vel immediatè, cum ſolemnitate, vel abſque ipſa cum Dœmone paciſcitur, quod ſemper eſt grave peccatum contra Religionem, ex Layman lib.4. Trac.10. cap.3. n.4., & aliis cum ipſo, habetque plerumque adjunctam Hæreſim, aut Idololatriam; ac proinde excommunicationem in Bulla Cœnæ, ſi hæc ſignis exterioribus oſtendatur. Implicitum eſt, cum quis utitur ſignis, quæ non niſi à Dœmone poſſunt inſtitui, vel ejuſdem inſtinctu. Hoc quoque peccatum lethale eſt, niſi actus imperfectione, vel ignorantia invincibili excuſetur, quæ tunc non adeſt, cum quis monitus non deſiſtit; tunc enim eſt in dolo, cum veritatem negligit inquirere, ut optime Leſs. lib.1. cap.4. n.6.

336. Suppon. II. Quoniam difficulter agnoſci poteſt, an plerique effectus Naturæ, vel Dei ſupernaturali cauſalitati tribuendi ſint, ad quos diſcernendos Sanchez de Præcep. Decal. lib.2. cap.4., & Leſs. lib.2. cap.44. multa ſigna ſubminiſtrant, præmitti diligentiam exactam oportere ad ipſos dignoſcendos; qua poſita, aut de alterutra parte certi ſaltem moraliter judicamus, aut manemus dubii: ſi primum contingat, & conſtet nobis, rem eſſe ſuperſtitioſam, omninò deſiſtendum eſt. Si probabiles ex utraque parte rationes militant, pro Natura pronunciare debemus: non enim abſque neceſſitate ad occultam Dei, aut Angelorum operationem confugiendum eſt; res enim pleræque naturales

nedum

nedum litterarum inſcios , verum etiam peritiſſimos latent , & multa , quæ retroactis ſæculis putata fuiſſent miraculoſa , nunc , Philoſophia naturali ad apicem perfectionis adducta , & iis , quæ erant parvuli , relictis , apparent eſſe merè naturalia: Hinc Eccleſia Romana rigidè adeo Sanctorum Miracula examinat,optimè ſciens vires Naturæ non eſſe admodum pro ſtatu iſto nobis exploratas.

337. His poſitis : dico, ſedere ſuper ſcutum ad pariendos maſculos , eſſe vanam obſervantiam , cum ſeſſio illa nullam vim naturalem habeat Filios producendi. Deferre ignem ad Baptiſmum Infantis , vel dum Cadaver Defuncti educitur ; ejuſdem feretrum ex ligno viridi conſtruere , ac deinde in fruſta conſcindere; craterem vini in oſtio domus ponere à Sponſa vertendum , nullam ſuperſtitionem videtur continere , ſed veterem conſuetudinem ob motiva aliqua peculiaria , quæ tunc urgebant , inductam : at in hoc ipſimet Populi de mente ipſorum conſulendi.

338. Amputare digitos Defunctorum , & cor avellere ſpeciem quidem crudelitatis , non autem ſuperſtitionem oſtendit , niſi aliquid ipſi Populi velint , quod reipſa ſuperſtitioſum ſit , de quo ipſimet ſunt interpellandi ; ſicut interrogandi , quo fine dies , annos , menſes , animalia , aves obſervent. Si enim his omnibus ratio habeatur ad effectus merè naturales ab ipſis pendentes , vel quibus poſitis , hujuſmodi effectus ſequi ſolent , nullam redolet ſuperſtitionem; ſicuti nulla apparet in Aſtrologia naturali , cum pluviæ , eclipſes , terræmotus , & alia ſimilia prænuntiantur , ut optimè Bonac. de 1. Decal. Præcep. Diſp. 3. Quæſt. 5. Punc. 2. Propoſ. 2. n.10. ſecus eſſet , ſi in hujuſmodi ſignis aliqua

vis poneretur futurâ prænuntiandi, aut nonnulla efficiendi, cum quibus nulla pateret connexio.

339. Somniis infallibilem fidem præbere, ac futura ex iis prænunciare, peccatum grave Divinationis eſt, cum ſomnus nullius effectus ſit cauſa neceſſaria, nec quidquam, niſi ſpeciem ſui, ac memoriam relinquit, ex Sanc. Thom. 1. 2. Quæſt. 95., art. 6. niſi conſtet, à Deo, vel bono Angelo proficiſci. Quod quidem facilè diſcernetur, ſomniorum qualitate perſpecta. Quando enim ad bonum, & cum debitis circumſtantiis peragendum, nec ab Eccleſiæ Doctrina diſſonum vera humilitate præeunte impellunt, neque hominem poſt ſe turbatum relinquunt, atque promptum ad virtutem capeſſendam inducunt, tunc à Deo, aut bono Angelo proficiſci cenſendum eſt. Si verò oppoſitum contingat, Dæmonis ludibrium exiſtimandum. Ita ſcribunt Doctores cumulati apud Layman Trac. 10. cap. 3. n. 7. In dubio autem potiùs diabolica, aut naturalia eſſe ſomnia, docet Delrio lib. 4. Diſquiſit. Magic. Quæſt. 6., & Alii apud Bonac. loco citato.

340. Quantum verò attinet ad modum medendi inſufflationibus, verba fabuloſa Sacris admixta recitando, utique vanam redolet obſervantiam, non quidem ratione inſufflationis, ex ſe indifferentis, ſed aliarum admixtarum vanitatum; quibus omiſſis, & verba ſolummodo Sacra recitando, cum ſpe in Deum unicè directa, inſufflationes illæ non videntur damnandæ, ex Leſs. lib. 2. cap. 45. & aliis.

341. Proinde Populi illi rudes, ac ignorantia maxima laborantes non ita facilè peccati lethalis damnandi ſunt, ſed monendi charitativè, ſi ſpes affulgeat emendationis; ſi vero adhuc manent

nent indiſpoſiti, differri poteſt admonitio, donec ſperetur fructus correctionis. Moniti verò, nec volentes hujuſmodi ſuperſtitiones derelinquere: tunc, quoniam ex ignorantia minimè delinquerent, atque emendari reſpuerent, abſolvi nequaquam poſſunt; & propterea nullatenus ad Sacramenta admittendi.

QUÆSTIO V.

An, Peſte graſſante, Mortuorum Cadavera diſcerpere liceat, atque comburere?

342. RESp. Nationes nonnullas, ut Albanenſes, & alias finitimas minimè in hoc peccare, aut ullam cenſuram incurrere.

343. Ratio primæ Partis eſt. Quia inciſio illa Cadaverum non ex odio, aut malo animo procedit, ſed ex inani, & falſa perſuaſione damni graviſſimi à Defuncto inferendi; ergo non peccant lethaliter incidendo, putantes ſe ab offenſione Defuncti tueri; quæ ignorantia cum in Populo rudi, Rerum Divinarum inſcio, atque Turcis immixto, & inſtructionibus carente, videatur invincibilis, à peccato excuſat, ex Propoſitionis hujus damnatione ab Alexand. VII. profecta: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris Naturæ, hæc in ſtatu Naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali.*

344. Secunda quoque Pars patet. Nam ignorantia nec craſſa, nec affectata, nec ſupina, cum tollat contumaciam, excuſat à Cenſuris, ex Navar. Covaruvias, Henriquez, & Aliis, quos adducit, & ſequitur Bonac. de Cenſur. Diſp. 1. Quæſt. 2. Punc. 1. Propoſ. 1. cum ergo hìc deſit contumacia, appareatque ignorantia nec ſupina, nec affectata, non videtur Populus ille Cenſuris

innodari, niſi poſtquam monitus fuerit, & nolit emendari.

345. Quæres, An Eccleſia hujuſmodi Cadaverum inciſione polluatur?

346. Reſp. negativè. Ut enim Eccleſia effuſione Sanguinis polluatur, hujuſmodi effuſio debet eſſe injurioſa, Cap. *Eccleſiis*, de Conſecrat. Diſt. 1. Cap. *Si notum fuerit*, hæc autem non eſt hujuſmodi, ſed ad propriam defenſionem, ex ſtulto tamen errore profecta. Inciſio quoque corporis in fruſta ob eamdem rationem, ſicuti non eſt veri hominis inciſio, & ex odio ipſius, ita non eſt injurioſa, & excommunicationem inducens. Hinc percutiens Clericum mortuum non incidit in excommunicationem, Cap. *Si quis ſuadente*, ex Fagnan. in lib. 4. Decret. in Cap. *A nobis*, de ſentent. excommunicationis. Clericus ſimiliter Mortuum capite obtruncans, & procurans abortum fœtus non adhuc anima rationali præditi, non fit irregularis, ex Archidiac. in Cap. *Si quis*, 15. Quæſt. 1.

347. Neque cogunt in adverſum adducibilia Argumenta. Non primum, quo adverſus primam Partem dicitur, quod nimirum præfati Albanenſes agunt ex opinione hæretica: quamvis enim errore id agant hæretico, non tamen animo hæretico.

348. Non ſecundum, quo dicitur violari pietatem adverſus Parentes: quamvis enim in eſſe materiali eam lædant, non tamen in eſſe formali cum putent ex inſano errore, Cadavera Parentum ſibi graviſſimè nocitura; quare ſicuti non peccarent, ſi ab aggreſſione Parentum viventium ſe tuerentur, cur peccabunt ſe tuentes ab aggreſſione Defunctorum, qui revera Parentes non ſunt? quorum Cadaveribus in rigore injuria non fit, ſicuti nec violentia, juxta

Bald.

Bald. in Leg. *Sororem*, in fine num. 2., & 3.

349. Non tertium, quod ſcilicet fiat injuria Eccleſiæ, cujus cuſtodiæ Cadavera ſunt commendata: nam hæc cuſtodia non adeo ſtricta eſt, quin aliter fieri queat: Hinc videmus, Cadavera Defunctorum tradi alia Medicis ad Anatomiam exercendam, alia ut ob alios fines ſcindantur, ac diſcerpantur; ergo etiam Populi illi facere queunt ob pavorem, etſi ſtultiſſimum, ne à Mortuis devorentur.

350. Ad id, quod objici poteſt adverſus ſecundam Partem ex extravag. de ſepul. Cap. *Deteſtandæ*, ubi corpora Defunctorum exenterantes, & in fruſta ſcindentes, etiam ob finem non malum, excommunicationi Papæ reſervatæ ſubjiciuntur, facilè reſpondetur, ibi eſſe ſermonem de iis, qui Cadavera deſcripta ad alium locum transferunt, non de illis, qui ea in eadem Eccleſia ſepeliunt: Lex enim pœnalis, cum ſit odioſa, reſtringi debet ad caſus ibi expreſſos, non ad alios extendi, ut firmat Gloſſ. in Clemen.I. de Conſang. & Affinit.

QUÆSTIO VI.

An Calix ab Infidelibus prophanatus nova indigeat Conſecratione?

351. RESp. breviter abſque Argumentis in oppoſitum, non indigere.

352. Ducor autem. Quia non minus Calices Chriſmatis Unctione conſecrantur, quam Eccleſiæ, & Altaria, de Sac. Unct. Cap. final. at Eccleſia, & Altaria ſemel conſecrata Chriſmate Sacro non execrantur per hoc, quod uſui prophano fuerint addicta, ſed requiritur, quod Eccleſiæ parietes ſint diruti, vel devaſtati, aut

combuſti, Cap. *Eccleſiis*, de Conſec. Diſtin. 1. Hinc Eccleſiæ prius Conſecratæ ac Hæreticorum, aut Gentilium ſuperſtitione pollutæ, reconciliatione ſolummodò indigent Epiſcopali, Cap. cit. de *Eccleſiis*, & docet Layman lib. 5. cap. 5. n. 14.; ergo Calix non amittit Conſecrationem, quacumque prophanatione non obſtante.

353. Et ratio eſſe poteſt, quia Conſecratio orta ex Unctione Chriſmatis, manu Epiſcopali collata, ſicut afficit parietum Eccleſiæ ita quoque externam ſuperficiem Calicis, itaut ſi auri pereat interna ſuperficies, & nova inducatur, nova indiget Conſecratione, ita docentibus Suarez, Vaſquez, & Aliis, apud Bonac. de Euchar. Diſp. 4. Quæſt. ult. punc. 10. Propoſ. 13. n. 19. ſicut nova requiritur Eccleſiæ Conſecratio, ſi parietes decruſtentur, quorum incruſtationi adhæret Conſecratio; ergo ſi in Calice prophanato remanet ſuperficies interior auri, remanet ſemper Conſecratio paſſiva; adeoque &c. ergo, tametſi Infideles, & Hæretici Calice fuerint uſi, etiam in operibus prophanis, adhuc tamen ex hoc præciſe nulla indiget Conſecratione: imò nec pollutus dici in rigore poteſt; ſicuti nec Eccleſia, & Altare tales dicuntur, niſi ex homicidio, aut injurioſa Sanguinis humani, aut voluntaria ſeminis pariter humani effuſione, Cap. *Si motum fuerit*, & Cap. *Eccleſiis*, de Conſecrat. Diſt. 1.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An poſſit ſuſtineri Altare portatile, quo Miſſionarii utuntur, etſi anguſtiſſimum?

354. Reſp. breviter abſque argumentis in oppoſitum, ſupponendo Altare illud eſſe conſecratum, eo quia remanet pars principalis, ſuper quo tamquam menſa Calix, & Patena collocari poſſunt, cum ſuper lapidem præcipuè Conſecratio cadat, acceſſoriè ſuper lignum, cui adhæret, uti docent Abbas in Cap. 1. de Conſecrat., Suarez Diſp. 81. Quæſt. 5., quoties anguſtia Altaris lapidei ſecundum ſe, aut ob fracturam, non ſit ita enormis, quin Calix cum Patena poſſint in eo collocari, atque quieſcere, tunc, ſtante Privilegio, poſſe à Miſſionariis ſuper illo Altari Sacrum fieri.

355. Si vero Altare ita ſit læſum, ut ipſamet tabula lapidea ſit fracta, neque in ulla ex partibus diviſis poſſet Calix, & Patena tutè cum corporali ſubſiſtere, tunc quia Conſecrationem amiſit, minimè poſſet in eo celebrari.

356. Inquires, an Cuppa à Calice ſeparata Conſecrationem amiſerit?

357. Reſp. Si Cuppa pedi ſit per continuationem amovibilem unita, ut in Calice tornatili contingit, tunc non amittere Conſecrationem; in tali enim caſu non conſecratus eſt pes, ſed Cuppa. Si verò Cuppa cum pede unum perfectè continuum efficiat, tunc amittere, ſi diſtinguatur, eo quia facit unum per ſe perfectum continuum, adeoque ſicut totum accipit Conſecrationem, ita toto disjuncto, illam amittit, uti contingit in lapide conſecrato in duas partes diſſecto, & in Altari à tabula lapidea diviſo,

Cap. *Si motum*, de Conſecrat. Diſt. I. Ita diſcurrit cum pluribus Layman lib. 5. trac. 6. cap. 6. num. 5.

358. Inquires ulterius, an Veſtes Sacræ ob fractionem, & diviſionem in partes diviſæ, ac reſarcitæ Benedictionem amittant?

359. Reſp. Veſtes Sacerdotales, ſi reficiantur, novęque partes antiquis ſuperveniant, non amittere Benedictionem, maximè ſi partes principales remaneant, eo modo, quo Eccleſia, ſucceſſivè reſtaurata, ſicuti non dicitur nova Eccleſia, ita nova non indiget Conſecratione, uti docet Gloſſ. in Cap. *De Fabrica*, de Conſecrat. Diſt. I. igitur niſi Veſtes ſint omninò conſumptæ, atque ad uſum decentem ineptæ, reſtaurari debent, & citra novam Benedictionem adhiberi; ineptæ vero comburi, vel aliis Sacris uſibus addici, Cap. *Altaris*, de Conſecrat. Diſt. I.

QUÆSTIO VIII.

An Infidelibus Sanctorum Imagines tribui poſſint?

360. RESp. licere. Ita ex reſponſione Theologorum S. Rom. Inquiſit. habetur 1674. ad Dubium 25. *Reſpondetur ſi non adſit periculum conculcationis, poſſunt*, puta, *dari, ad effectum conſervandi pacem cum eis, & alliciendi ad Fidem*.

361. Ratio eſt: Quia in hoc nulla ſpecies mali apparet, cum res, quæ datur, ſit bona, & optimus eſt finis, ob quem datur, nempe, conciliandi ſibi Infidelium amorem, & alliciendi ad Fidem. Si autem adſit conculcationis periculum, nequaquam licitum eſt, ut eadem Sacra Congregatio advertit.

362. Ne-

362. Neque per hoc anſa Gentilibus idololatrandi, aut idipſum de Chriſtianis opinandi præberetur; cum apertè, qui largirentur Imagines, proteſtarentur, homines in Icone expreſſos fuiſſe ſolummodò veri Dei Cultores, non autem ullo modo Deos.

QUÆSTIO IX.

An liceat Miſſionariis Candelas ex adipe, aut purum oleum ardens in Miſſæ Sacrificio adhibere?

363. Reſp. licere, neceſſitate urgente. Nam lumen adhiberi quoad ſubſtantiam, & quoad modum, ex jure tantum poſitivo humano, Eccleſięque conſuetudine dimanat; ergo, ſtante inopia luminum ex cera, & urgente Sacrificii neceſſitate, poteſt Miſſa celebrari, luminibus adhibitis alterius rationis: & ſicuti Miſſionariis abſque lumine ullo celebrare, cogente neceſſitate, conceſſum eſt, cur non licebit, eadem urgente, cum ſolo lumine ex oleo, aut candelis ex adipe confectis cum abſque Crucifixo, & una tantum mappa benedicta offerri Sacrificium poſſe, afferat Azor. Tom. 1. lib. 10. cap. 28. Quæſt. 18.

364. Si inquiratur, an, urgente neceſſitate, liceat Miſſionariis Miſſæ Sacrificium abſque Veſtibus Sacris conficere?

365. Reſp. præſcindendo à Privilegiis ampliſſimis, quæ Sacris Ordinibus conceſſa ſunt, & unuſquiſque conſulere debet, tutius eſſe, Miſſam non celebrare, quam abſque Sacris Veſtimentis conficere, indecentiſſimè enim celebraretur cum Veſtibus communibus, quaſi prophana, parvique momenti res eſſet.

366. Ne-

366. Neque urget Præceptum de Sacro audiendo diebus feſtivis: in tali enim caſu ceſſaret, cum abſque notabili indecentia fieri non poſſet à Populis nimium obſervabili. Ita cenſent Cajet. Navar. & Alii apud Laym. lib.5. cap.6. n.17. Non inficior tamen dari caſus aliquos particulares, quibus id liceat: at nos in genere loquimur.

QUÆSTIO X.

An Opifices Chriſtiani poſſint operam ſuam Infidelibus locare, atque ab ipſis compulſi Diebus Feſtis Sacrum nullatenus audire?

367. Reſp. Poſſe, dummodo alium modum vitæ tranſigendæ non habeant, nec laborare compellantur in Fidei Orthodoxæ contemptum.

368. Prima Pars patet. Nam urgens, & vera neceſſitas à Feſtorum obſervantia excuſat, uti habetur de Feriis Cap. *Licet*. Hinc Eccleſiæ praxi videmus, omnia Diebus Feſtivis ad victum neceſſaria præſtari, & ea, ſine quibus res familiaris nimium detrimentum ſentiret, præmiſſa Paſtorum facultate; imò ne magnum lucrum amittatur, qualis eſt piſcatio Tunnorum, quod niſi tali die determinato fieri poteſt. Suarez, Navarrus, Cajetanus, & Alii, quos citat, & ſequitur Bonac. Diebus Feſtis uſum ſervilium licitum concedunt: alii verò permittunt etiam Opificibus inter Catholicos, ſi Feſta ſint continuata, ut Familiam ſuſtentent, idipſum præſtare: Opifices autem Chriſtiani viventes inter Ethnicos, nec unde vivant habentes, in vera, & urgenti neceſſitate verſantur; ergo licitè diebus Feſtis opera ſua Infidelibus locant,

etiam ſi

etiamſi non permittantur Sacrum audire.

369. II. Pars prob.: nam potentes alios invenire, quibus non compellantur Feſta violare, etiam cum lucro minori, in gravi, & vera neceſſitate nequaquam conſtituuntur, qua ceſſante, ceſſat quoque neceſſitas violandi Præceptum 1. Quæſt.7. Cap. *Quod pro remedio*.

370. Tertia Pars conſtat. Nam ſi Opifices in Fidei contemptum laborare cogantur, urget Præceptum Fidei confitendæ; ergo in tali caſu famulatus relinquendus eſt, etiam cum ipſius vitæ diſpendio.

371. Primum, quod opponitur, nempe Feſta ex Jure Divino eſſe quoad ſubſtantiam obſervanda, non efficit, quod cogente neceſſitate, & Eccleſia diſpenſante, non poſſit Diebus Feſtivis laborari; quod quidem ſcimus ex Eccleſiæ ſenſu, & praxi; hinc enim eidem poteſtatem reliquit, ne jugum ſuum eſſet importabile.

372. Eo magis quia Miſſæ auditio eſt Præceptum merè Eccleſiaſticum; ergo Eccleſia, quæ Pia Mater eſt, diſpenſante, & neceſſitate compellente, poteſt omitti.

373. Secundum quod objicitur, nempe in Lege veteri minimè licuiſſe Feſta violari; ergo neque in nova Lege perfectiori, parum urget. Tumquia hæc obligatio in omnibus omnino Feſtis minimè obſtringebat, ſed in Sabbatis tantum, & aliis determinatis. Tumquia Feſta Chriſtianorum Judaicis ſunt perfectiora, non per abſtinentiam omnimodam à ſervilibus, ſed quia Deus profectiori modo colitur, non per figuras, ſed *in ſpiritu, & veritate*, Joan. 4. 23.

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

An Chriſtifidelis habens Famulos Infideles, aut Hæreticos poſſit eos Die Feſto operibus addicere, ut peccata præcaveantur?

374. RESp. Si Catholicus ille nullos alios Famulos habere poſſit, nec alio pacto eorum peccata cavere, nequaquam eum peccare eos Diebus Feſtivis ad ſervilia compellendo.

375. Ducor autem. Quia gravis neceſſitas corporalis excuſat ab obſervatione Feſtorum, ſivè propria, ſivè aliena; ergo neceſſitas ſpiritualis propria, vel aliena longè fortiùs excuſabit: at neceſſitas, quam habet Catholicus ille cogendi ad labores Famulos ſuos, eſt ſpiritualis, & gravis, & inevitabilis, ut ſuppono; ergo poteſt licitè compellere Famulos ſuos Infideles, aut Hæreticos ad laborem, cum etiam Catholici ipſi abſque labore tentationem ad peccandum ſuperare nequeuntes, id facere licitè poſſint, ex Laym. lib. 4. Trac. 7. cap. 4. ubi alios cumulat.

376. Nec officit, quod objici poteſt, malùm eſſe Feſta non ſervare; ergo non faciendum ad evitanda peccata Famulorum: non enim malum eſt Feſta non obſervare ob gravem neceſſitatem ſivè propriam, ſivè alienam: cum autem Catholicus ille alios Famulos habere nequeat præter hos, quorum peccata niſi violatione Feſtorum impedire non poteſt, utique malum non facit eos ad laborem cogendo, & peccata impediendo.

377. Neque urget ſecundum, nempe Hæreticos teneri ad Feſta ſervanda; ergo cooperatur Catholicus eorum peccato eos cogendo ad labo-

laborem. Non enim cooperatur peccato Dominus, quod commiſſuri ſunt aliundè, ſed ſolummodò cogendo ad laborem graviora peccata, præter Feſtorum tranſgreſſionem, quæ ab ipſis comittuntur, impedit, quod ſanè Charitati eſt conforme, & curæ, quam gerere debet Famulorum.

378. Cæterum ſecundum ſe illicitum eſt Catholico, quemadmodum laborare die Feſto, ita per Servos ſervilia exercere per Legem Eccleſiaſticam vetita: *Qui enim per alios facit, per ſeipſum facere videtur*, de Reg. Juris in 6. effectus enim adſcribitur cauſę principali, & moventi, qualis eſt Dominus reſpectu Servorum, etſi ipſi, utpote non baptizati, ſaltem reſpectu Præcepti merè Eccleſiaſtici, qualis eſt de auditione Miſſæ Diebus Feſtis, fortaſſe minimè delinquant.

QUÆSTIO XII.

An Miſſionarius Domos Infidelium benedicere valeat?

379. RESp. affirmativè. Qua enim ratione Miſſionarii poſſunt pro Infidelibus preces fundere, ut bona temporalia conſequantur, aut ad Fidem Orthodoxam convertantur, aliaque beneficia poſſunt eis à Deo obtinere, ut curationem Infirmorum, & Energumenorum liberationem, uti in Primitiva Eccleſia frequenter contingebat; cur, ipſis humiliter petentibus, non poterunt ſuper Domos Benedictionem largiri, cum in hoc nulla exerceatur ſuper ipſos juriſdictio; nec ulla irriſio timeatur?

QUÆ-

QUÆSTIO XIII.

An Miſſionariis Apoſtolicis Eccleſias novas, aut antiquas pollutas cum Cœmeterio illis annexo, licitum ſit benedicere?

380. RESp. licere. Ducor autem, quia Regulares ut plurimum Miſſionarii officio fungentes Privilegio gaudent Leonis X. in Bulla *Religionis* apud Confer. de Privil. Mendican. Part. 1., quo conceditur hujuſmodi facultas, ubi non ſuppetit copia Epiſcoporum, à quibus hujuſmodi Benedictiones tribuantur; ergo etiam gaudent eodem Privilegio reſpectu Eccleſiarum, quæ in Miſſionibus eriguntur, cum idem ſit motivum, nempe abſentia Epiſcopi, nec ita facile inveniendi.

381. Neque hoc abrogatum fuit à Tridentino, quod ea ſolummodo abſtulit, quæ authoritati plenæ Epiſcoporum derogare videbantur, quale profectò illud, de quo loquimur, non eſt. Quamvis autem Eccleſiæ Miſſionum non omnes ſint Regularium, ab iis tamen reguntur, & neceſſitas benedicendi Eccleſias longè magis ibi, quam inter Catholicos ipſos exiſtit. Qua Doctrina objectionibus omnibus ſatisfit.

QUÆ-

QUÆSTIO XIV.

An Schiſmaticus Orientalis vovens ingredi Religionem, & nubens, ſe ad Catholicam Fidem convertens, egeat diſpenſatione, ac debitum reddere, ac petere poſſit?

382. RESP. I. Votum illud diſpenſatione indigere, ut Matrimonium prima vice conſumet. Ratio eſt. Nam ille adoleſcens vovit ingredi Religionem in genere, quam putabat veram Religionem, juxta communem Populi ſenſum; ergo, ut Matrimonium conſummare valeat, indiget diſpenſatione; illud enim Votum validum eſt, etſi erret in qualitate Religionis: alioquin quomodo de Conjugio dubitaſſet, & de poteſtate petendi eſſet modo ſolicitus? At cum Voto Religionis non ſtat, poſſe licitè conſummare Matrimonium; ergo indiget diſpenſatione, nedum in primo Conjugio, ſed etiam in ſecundo, ſi velit contrahere, cum Votum illud fuerit indeterminatum; adeoque ſemper obligans.

383. Reſp. II. Etſi peccaverit nubendo, poſſe tamen citra diſpenſationem cum Uxore rem habere: Votum enim cadebat ſuper ingreſſum Religionis, non verò ſuper conſummationem Matrimonii, ſivè prima, ſivè ſecunda vice; ergo, quantum ad hoc nulla indiget diſpenſatione.

384. Reſp. III. Si ultra Votum Religionis, Votum quoque Caſtitatis emiſiſſet, ſi verecundia Uxoris talis eſt, ut nequaquam audeat debitum petere, adhuc in tali caſu poſſe petere. Ratio eſt: nam petitio illa debiti non fit gratia Viri Voto obſtricti; ergo ſicut licet Marito red-

dere

dere debitum Uxori petenti, ſta licitum eſt, petere debitum ab erubeſcente juxta Patriæ conſuetudinem, cum hoc cedat non in gratiam Voventis, ſed Uxoris. Ita cenſet Sanchez lib. 9. de Matrim. Diſp. 7. pluribus aliis congeſtis Authoribus.

385. Quod objicitur contra primam Partem: nempe Votum illud eſſe irritum, cum non reſpiciat verum Ordinem Clauſtralem à Sancta Sede Apoſtolica approbatum, evaneſcit, perpendendo Votum illud, etſi in errore fundatum, habere tamen pro objecto veram Religionem, cujus amore Votum emiſit; adeoque tametſi Religioſi Orientales Schiſmatici non ſint tales, quales communiter habentur, adhuc tamen Votum illud validum eſt.

386. Difficultas verò, quæ adverſus tertiam Partem opponi poteſt, nempe verecundiam Uxoris non dare Conjugi jus petendi, quo propter Votum Caſtitatis ſpoliatur, facile tollitur, neg. aſſumptum: nolens enim Uxor petere, volens tamen ſibi debitum reddi, implicitè, juxtaque morem Patriæ petit.

QUÆSTIO XV.

An liceat Patriarchæ Schiſmatici in Miſſa commemorationem habere?

387. Reſp. Nequaquàm Catholico licere. Deciſum hoc habemus à Rom. Inquiſit. 19. Decembris 1613. quæ, apud Pignatel. Tom. 8. Conſul. 80., cenſuit, Græcos non eſſe permittendos orare pro ſuo Archiepiſcopo Schiſmatico eorumdem Ordinatore, ſed pro Summo Pontifice, atque ipſorum legitimo Antiſtite.

388. Ra-

388. Ratio eſt. Quia Schiſmatici ſunt ex-communicati majori Excommunicatione Cap. 2. de Hæretic., quæ quidem ſingulis annis renovatur Can. 1. & 2. Bullæ Cœnæ; ergo pro ipſis publicè, præſertim nominatim orari non poteſt: oratio autem, quæ fit à Sacerdote in Miſſa eſt publica oratio; ergo non licet Sacerdoti Catholico orationem recitare in Miſſa pro Patriarcha Schiſmatico, cui hujuſmodi preces imperanti ſub pœnis, hac ipſa ratione obtemperari non poteſt, ne ſcilicet agi videatur in contemptum Religionis, eo modo, quo non licet ingredi Templa Hæreticorum, Principe ſub pœnis imperante.

389. Neque opponatur Schiſmaticos Orientales non eſſe nominatim excommunicatos; adeoque poſſe cum eis etiam in Sacris communicari juxta Conſtantienſe Concilium.

390. Nam incertum eſt, an Conſtantienſis Synodus in ſuo Privilegio, Hæreticos, & Schiſmaticos voluerit complecti. Deinde neg. conſeq. Nam Conſtantienſe Indultum in favorem ſolummodo Catholicorum Sacramentorum adminiſtratione indigentium cedit, ut perſpicienti Textum Concilii, perſpicuum fit, non ipſorum Hæreticorum: in caſu autem noſtro oratio fit favore Patriarchæ Schiſmatici, non ad utilitatem Catholici; adeoque diſpar ratio.

QUÆSTIO XVI.

An liceat Catholicis Jejunia, & Feſta juxta Kalendarium non reformatum vivendo cum Schiſmaticis, ſervare?

391. Reſp. poſſe. Id enim pluries decrevit Sancta Romana Inquiſitio apud Pignatel. Tom. 8. Conſul. 80. ubi expreſſe

Decre-

Decreta adduxit. Idipſum de Jejuniis dici poteſt, uti pro Græcis apud Latinos degentibus ad Inquiſitorem Melitæ ſcriptum eſt 25. Auguſti 1595. ut non permittat illis comedere carnes diebus, quibus Latini abſtinent; ergo etiam Latini inter Græcos verſantibus poſſunt à carnibus abſtinere.

392. Ratio autem eſſe poteſt. Quia conſuetudines Eccleſiarum, etiamſi à Romana diſſideant, tolerari poſſunt, Dogmatibus Fidei Orthodoxæ manentibus immotis: conſuetudines enim inveteratæ difficulter extirpari poſſunt, & idcircò in ſtatu ſuo relinquendæ, Cap. *Illud breviter*, Cap. *Novit*, Diſt. 12. juxta Doctrinam D. Ambroſii ad Auguſt. eadem Diſt. Cap. *Illa*.

393. Idipſum de Jejuniis Græcorum dicendum eſt, ex ſe bonis; produnt quippe antiquiſſimam, atque Sanctiſſimam Eccleſiæ Orientalis Diſciplinam. Obſervatio autem Feſtorum immobilium, & Paſchæ aliquot dies ante præciſum tempus, quo à Romana celebrantur Eccleſia, nullum Dogma Catholicum evertit, quo ſolo caſu conſuetudines Eccleſiarum ſuſtineri non poſſunt, Cap. *Nos conſuetudinem*, Diſt. 12. profectò enim ante Kalendarii reformationem, Feſta immobilia ſervabantur eo modo, quo nunc fit à non utentibus illo, quin Catholicæ Religioni ullum nocumentum adveniret, alioquin neque tùnc fuiſſet permiſſum.

394. Advertit tamen Pignatellus num. 2. in Diœceſi Latina non poſſe Græcos uti non reformato, & propterea Melitenſes, utpote in Diœceſi Latina verſantes ad Gregorianam reformationem fuiſſe compulſos, atque Inquiſitori ſcriptum 25. Auguſti 1695. ut abuſus præfatorum Græcorum Ordinario relinqueret diſcu-

tien-

tiendos, niſi aliquid Fidei puritàti adverſum, emergeret.

395. Neque obſtat, quod objicitur, Catholicum dedecere non ſequi Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ: hoc enim verum eſt in iis, quæ nedum Moribus, ſed Dogmatibus ejuſdem contradicunt, non verò in aliis rebus adiaphoris, in quibus toleratur adverſa conſuetudo; neque hoc eadem Eccleſia Romana ab omnibus exigit.

396. Quod verò opponi poteſt, utendo Kalendario non reformato Paſchatis ordinem perverti poſſe, quod in Quartadecimanis damnatum eſt, teſte Euſebio Lib. 1. Hiſt. Eccleſ. Cap. 24. apud Baron. ad annum Chriſti 198. facilè ſolvitur: tumquia utentes Kalendario non reformato Die Dominico Paſcha celebrant, quod Quartadecimani facere renuebant: tumquia hujuſmodi Sectarii non ideo præcisè fuere damnati, quia Paſcha Lunâ 14. Martii celebrarent, quocumque die contingeret, ſed quia hoc in Dogma verterant, & Eccleſiam Romanam die ſolummodo Dominico Paſcha celebrantem erroris damnabant, ut optimè Baron. loc. cit. Hoc autem non faciunt utentes Kalendario antiquo.

QUÆSTIO XVII.

An nonnullis Orientalibus Nationibus permitti poſſit conſuetudo jurandi, quin ſatagant emendari?

397. Reſp. Negativè. Nam vòlens in cauſa peccatum grave, tametſi de illo, dum committitur non cogitet, revera peccat in eadem ſpecie peccati, ex com. Senten. Theol. apud

apud Anacl. noſt. Theol. Moral. Trac. 1. Diſt. 1. Quæſt. 3. concl. 1. num. 21. at aſſuetus ad jurandum, & pejerandum, ſi nolit ſatagere, ut emendetur, & advertat, dum, & quid juret, vult perjurium in cauſa ſua; ſi enim nollet, adhiberet omnem diligentiam, ne pejeraret; ergo vult in cauſa, & virtualiter pejerare, ut optimè Aretinus noſter 4. Diſt. 39. Quæſt. unic. art. 7. Medina, & Alii, apud Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 11. Quæſt. 9. art. 2. n. 177.

398. Ulteriùs exponens ſe periculo peccandi, & nolens proximam ejus occaſionem relinquere, vel ſaltem conari, ut ab ipſa deflectat, revera peccat, & abſolutione indignus eſt, ut patet ex 45. ex damnatis ab Alexand. VII. & 65. ex proſcriptis ab Innoc. XI. nolentes autem ſatagere, ut abſtineant à juramentis, exponunt ſe periculo, & occaſioni proximæ pejerandi, ut optimè Sanchez Lib. 3. cap. 5. in Decal. cum metaphyſica ſit imaginatio, hominem ad juramenta faciliſſimum, niſi aliundè conſtet eſſe ſummè veracem, numquam, vel rarò falſum jurare; ſi ergo nolint conari, ut abſtineant, abſolutione indigni ſunt, cum careant vero propoſito emendationis.

399. Neque obſtat, quod objicitur, hujuſmodi juramenta eſſe indeliberata, adeoque ſola eſſe peccata venialia, cum conſuetudo nihil addat ſuper entitatem actus: hoc enim verum eſt in ſe, non tamen in cauſa ſua; cum enim frequentia jurandi, pejerandi quoque facilitatem inducat, qui non vult ſatagere, ut à Juramentis adeo frequentibus abſtineat, vult conſequenter in radice omnia perjuria, quæ ſubſequentur.

400. Falſum eſt quoque, illa repetita juramenta eſſe indeliberata: ut enim optimè Do-

ctor

ctor Subtilis 3. Diſt. 39. Quæſt. unic. §. *Videtur ergo*, ſicuti habitus virtutis non tollit meritum, ſed auget, adeoque neque advertentiam ad actum humanum neceſſariam; ita nec habitus jurandi deliberationem, quæ licet, videatur imperceptibilis, adeſt tamen, ſicut adeſt in aliis habitibus pravis. Propterea idem Subtilis §. *Quantum ad ſecundum* frequentiam iſtam juramentorum eſſe periculoſam, ac proinde vitandam, juxta monitum Chriſti Domini, Matth. 5. 37.: *Sit autem ſermo veſter: eſt, eſt: non, non.*

QUÆSTIO XVIII.

An poſſit ſuſtineri Juramentum fide alterius innitens apud aliquas Nationes Orientales à longo tempore inductum?

401. Reſp. Non poſſe. Ducor: quia Juramentum ut ſit licitum, debet tria habere ornamenta, nempe Veritatem, Juſtitiam, & Judicium, ut omnes Theologi tenent, cum S. Thom. 2.2. Quæſt. 89. art.7., adeoque in Juramento aſſertorio, quale eſt illud, de quo diſputatur, debet eſſe in Jurante certitudo ſi non phyſica, ſaltem moralis, rem, quæ dicitur, verè reipſa talem cenſeri, ut omnes Theologi morales unanimiter ſentiunt; quod quidem oritur ex dignitate ipſiuſmet Juramenti, quo Deus publicè vocatur in teſtem: at Jurantes fide aliena nullam certitudinem habent, neque phyſicam, neque moralem de veritate objecti, de quo deponant, cum nec viderint, nec immediatè audierint, ſed merè in fide Accuſati teſtificentur, eoquia talis ſit deponendi conſuetudo; ergo vel falsò deponunt cum Ju-

ramento, cum fortaſſe viderint oppoſitum illius, quod deponunt; vel ſaltem cum eodem deponunt, quod neſciunt; utrumque autem repugnat Veritati Juramenti aſſertorii, ex comm. apud Maſtrium noſtrum Theol. Moral. Diſp. 11. Quæſt. 3. art. 2. n. 49. ergo conſuetudo illa non poteſt ullo modo ſuſtineri.

402. Neque dicas, ad ſalvandum hujuſmodi Juramentum ſufficere opinionem conceptam de probitate Accuſati, quæ poteſt eſſe ob qualitates ejuſdem moraliter certa; adeoque non exponunt ita jurantes periculo pejerandi.

403. Nam in primis Accuſatus nullam fidem meretur in ſui favorem; nemo enim Judex eſt in propria cauſa, ut jura diſponunt, & acies ipſa naturalis perſuadet. Tumquia hoc ad ſummum in aliquo particulari poſſet ſuſtineri peculiaribus circumſtantiis affecto; non autem in omnibus, ut contingit in caſu: *Quæ enim à Jure exorbitant, nequaquam in exemplum ſunt trahenda.*

QUÆSTIO XIX.

An aliquid pro Sacramentorum adminiſtratione titulo Eleemoſynæ accipi poſſit, juxta Orientalium morem?

404. RESp. Eccleſiaſticis ſivè Beneficiatis, ſivè non, minimè licere pecuniam exigere pro Sacramentorum adminiſtratione: poſſe tamen aliquid recipere titulo ſuſtentationis, & ſtipendii, ſi nihil aliud ſit pro ipſis aſſignatum, unde vivere poſſint.

405. Prima Pars patet. Quia exigere tantum, & quidem in pecunia numerata, nec velle alio pacto Sacramenta miniſtrare, manifeſta

eſt

eſt venditio Sacrorum, de Simon. Cap. *Cum in Eccleſia*, Cap. *Non ſatis*: hæc autem eſt crimen propriiſſimum Simoniæ in Simone Mago condemnatum, Cap. *Qui ſtudet* 1. Quæſt. 1., atque Divinam Lege 1. Cor. 9. 18. Sacriſque Canonibus interdictum, Cap. *Erga Simoniacos* 1. Quæſt. 1.; ergo pecuniam pro Sacramentorum adminiſtratione exigere manifeſte Simoniacum eſt; ergo ilicitum.

406. Ulteriùs. Exigere aliquod pro collatione Beneficii Eccleſiaſtici, etiamſi curam non habeat Animarum, Simoniacum eſt, ex Fagnan. in ſec. Part. primi Decret. de Pactis, Cap. *Cum quidem*; ergo multofortiùs erit Simoniaca Sacramentorum adminiſtratio, in qua exigitur aliquid determinatum, cum hæc ſit longè ſublimior, quam illa, in qua ſolummodò jus confertur fructus ex bonis Eccleſiæ recipiendi. Hinc Triden. ſeſs. 21. de Refor. Cap. 1., ad tollendam omnem Simoniacæ labis ſuſpicionem præcipit ne quidquam pro Ordinum collatione accipiatur, niſi à Notariis, ubi vigeat conſuetudo legitimè introducta.

407. Secunda quoque Pars eſt perſpicua. Quia Simonia eſt datio ſpiritualis rei pro temporali 1. Quæſt. 3. Can. *Salvator*, itaut ſpirituale ſit pretium rei temporalis, vel ſaltem motivum, & cauſa finalis, ex Propoſition. 45. inter 65. ab Innoc. XI. proſcriptas: accipiendo autem aliquid titulo congruæ ſuſtentationis, ſtipendii, & Eleemoſynę ſponte oblatæ non datur res ſpiritualis pro temporali, neque ut pretium, neque ut finis; alioquin oblationes omnes, & ſtipendia, quæ Sacerdotibus dantur, eſſent Simoniaca; ergo his titulis licitum eſt aliquid accipere pro adminiſtratione Sacramentorum: *Dignus eſt enim Operarius mercede ſua*, Matth. 10. 10.

408. Conf. hoc. Non eſt Simoniacum recipere id, quod jure naturali, & Canonico debitum eſt: ſuſtentatio autem Sacerdotum, qui ſpiritualia miniſtrant, eſt debita jure naturali, & Canonico; hinc ipſi Gentiles publicis impenſis Sacerdotes ſuos alebant, Gen. 47. 22. ergo nullam labem contrahunt Eccleſiaſtici, aliquid pro ſuſtentatione recipiendo, & ratione laborum, quos in Sacramentorum adminiſtratione impendunt, undè vivant, aliundè non habentes, ut optimè D. Thom. 2. 2. Quæſt. 100. art. 2. in corp. ex Agath. Synod. cap. 36. relat. Cap. ult. Quæſt. 2.

409. Quæ objici poſſunt contra primam Partem, jam præventa ſunt: Poſſunt quidem Eccleſiaſtici, qui curam Animarum habent, & propterea proventus ſuos habere deberent, quibus ob tyrannidem Infidelium privantur, aut titulo ſuſtentationis, aut laboris impenſi aliquid accipere pro Sacramentorum adminiſtratione, non tamen uti pretium, quod quidem taxare nequeunt, cum eſſet explicitum pactum venditionis, & multò minùs illud augere, vel minuere juxta gravitatem majorem, vel minorem peccatorum, quæ in Sacramento Pœnitentiæ exponuntur. Illi verò, qui Paſtores non ſunt, poſſunt quidem titulo laboris, ad quem non tenentur, aliquid accipere, ſicuti apud nos abſque Simoniæ labe Eleemoſynæ pro Miſſis, & officiis eodem titulo recipiuntur, non tamen pretio taxato, quod ſanè in Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ adminiſtratione ſordidam Simoniam redoleret.

QUÆ-

QUÆSTIO XX.

An Catholicus poſſit deferre operimentum quoddam capitis Tag *appellatum à Rege Perſidis in ſignum Nobilitatis conceſſum?*

410. RESp. Non poſſe. Ducor autem. Quia ſignum illud eſt proteſtativum falſæ Religionis ex Pet. de Val. Tom. 2. ſuar. Peregrinat. Epiſt. 1. narrat quippe hujuſmodi ritus originem ex Religione falſa omnino prodiiſſe; illius quippe teſſera eſt, atque diſtinctivum; ergo non licet deferre illud operimentum abſque violatione proteſtationis externæ veræ Fidei Orthodoxæ.

411. Rurſus ex Sac. Congregatione Propagand. Fid., & Rom. Inquiſit. ad Dub. 1. P. Longobardi eſt deciſum, degentes Chriſtianos inter Turcas deferre non poſſe Veſtem albam talarem, qua ſoli eorum Sacerdotes induuntur, eoſque à Sectis cæteris diſtinguunt adeo rigidè, ut ſi quis Chriſtianus cum ea Veſte deprehendatur, aut Chriſto abrenuntiare, aut mortem ſubire compellatur, teſte eodem de Valle Tom. 1. ſuar. Pereg. Epiſt. 5.; ergo etiam erit illicitum deferre operimentum *Tag*, eoquia nedum Mahumetis Diſcipulos inter ſe, verum etiam à Chriſtianis, & cæteris Sectis diſtinguit.

412. Denique operimentum illud capitis non ſolum Mahumetis verum, & realem, ſed etiam perfectiſſimum, & genuinum Diſcipulum deſignat in opinione Perſarum, eodem Pet. de Val. teſte loc. cit., ergo eſt verè proteſtativum falſæ Religionis; adeoque illicitum. Probat. conſeq. Nam ex eo quia Crux Equitum S. Joan-

nis ſignificat eos, qui illam deferunt, eſſe acerrimos Fidei Propugnatores, ejuſque Militiam meliorem ejus eſſe portionem, qui Crucem illam defert modo ab ipſis conſueto, Catholicam profectò cenſetur externè Religionem proteſtari; ergo idem facit reſpectu Sectæ Mahumeticæ, qui operimentum *Tag* publicè defert; ergo illicitè operatur.

413. Ex his evaneſcit, quod objici poteſt, nempe ſignum illud *Tag* eſſe teſſeram nobilitatis, & quid politicum, & indifferens: Hoc enim verum quidem eſt: at annexum habet ſignum expreſſivum falſæ Religionis: & hoc ſufficit, ut delatio illa illicita evadat. Signa ergo Nobilitatis, quibus fulget Ethnicum Regnum, à Chriſtianis deferri, & accipi queunt: ſic etiam poſſunt eſſe Duces, & militare in exercitu Infidelium adverſus alios Infideles, etiamſi ferantur vexilla cum Imaginibus inanium Deorum, quos Infideles colunt: illa enim proteſtatio infidelitatis in vexillis elucens, afficit exercitum Infidelem collectivè, non ſingulos in particulari; alioquin in exercitibus Romanis Chriſtiani militare non potuiſſent, quod apertè falſum eſt: at ornamentum illud, de quo ſermo eſt, afficit ſingulos in particulari, & ideo illicitum eſt, utpote falſæ Sectæ proteſtativum.

QUÆ-

QUÆSTIO XXI.

An Miſſionarius declinandæ perſecutionis cauſa latitans in domo Idololatræ, nec Idola venerans, aut contemnens ſit reus violatæ Religionis?

414. RESp. Non eſſe. Quia manere præciſè in domo Idololatræ, ubi multa ſunt inanium Deorum ſimulacra, non magis Religionem violat, quam ingredi Templa iiſdem dicata, atque ipſis pleniſſima: at hoc ſecundum minimè Religionem lædit, ſi nullus Idolis cultus exhibeatur, etſi neque contemnatur, citra ſcandalum, aut alias circumſtantias vitiantes, cum certum ſit, licere Ethnicorum, aut Hæreticorum ingredi Delubra, vel animo addiſcendi eorum ritus, aut confutandi, aut meræ curioſitatis gratia, ex communi Theologorum apud Sanchez Lib. 2. in Decal. Cap. 4. ergo licebit quoque manere in domo Idololatræ ſimulacris referta nullo eis cultu exhibito, aut contemptu expreſſo.

415. Deinde juxta Tertul. Cap. 16. de Idololat. licitum eſt Chriſtianis omnia merè politica, quæ ad vitam civilem ſpectant, habere cum Infidelibus communia: at manere domi Idololatræ eſt quid omnino politicum, & civile, dummodo Idola minimè colantur; ergo hoc non eſt peccatum adverſus Religionem; alioquin eſſent culpandi, qui de domo Cæſaris erant Chriſtifideles, quos Divus Paulus ſalutat ad Philip. 4. 22. nec reprehendit, cum tamen in Domo Cæſaris Idololatræ plura fuiſſe inanium Deorum ſimulacra, vero ſimile ſit; Eſterque reprehendi debuiſſet, domi Aſſueri

Idololatræ manens, quod tamen in Sacris Literis non videmus; ergo citra ſcandalum, aut aliam pravam circumſtantiam illicitum non eſt Miſſionario manere ad ſe occultandum in domo Idololatræ, cum hoc utpote merè politicum, & indifferens non indicet propenſionem erga Idola, aut eorum, vel minimam venerationem.

416. Neque obſtat, videri inditium affectûs erga Idolum, manere in domo Idolum colentis, ſicut videtur inditium affectûs erga Hæreſim manere in domo Hæretici: hoc enim verum eſt, quoties nulla cogit neceſſitas, aut motivum rationale; ſecus verò, quando compellit: nam ſi domi Chriſtiani cujuſquam lateret Chriſti Miniſter, ſæviente perſecutione, facile poſſet detegi, & comprehendi vinculis, aut neci tradendus, quod non continget latitando in ędibus Idololatræ, aut Hęretici amici.

417. Verum eſt quoque, Sacros Canones omnem interdicere cum Ethnicis familiaritatem, uſumque communem: at intelligendi ſunt in rebus ſacris, non verò in politicis: aut ſi univerſaliter ſint ſumendi, hoc eſt verum citra neceſſitatem, aut cum ſcandalo, non verò ipſa compellente, nulloque ſcandalo urgente.

QUÆSTIO XXII.

An Miſſionarius, ne ſe Gentilibus prodat, morti proximus poſſit ſe occultare, tametſi prævideat corpus ſuum Ritu ſuperſtioſo Ethnicorum tumulatum iri?

418. RESp. Minimè delinquere. Ratio eſt. Quia ſecundum ſe nedum licitum eſt, ſed interdum laudabile in Miſſionario Apoſtoli-

co

eo Fidem occultare,ſivè quia ipſo detecto, Gentilium perſecutio ferventiùs deſæviſſet, ſivè quia vires in ſe ſufficientes Martyrii ſuſtinendi minimè advertit; ergo tametſi prævideat, corpus ſuum more Gentilitio ſepeliendum, non peccat, permittendo ſe more Ethnico ſepeliri: rem enim in ſe licitam facit, dum Fidem Orthodoxam occultat, quam prodere non tenetur; peccatum autem alienum permittere poſſumus, cui cauſam non miniſtramus, ob juſtum, & grave motivum, uti firmat Sanchez lib. 1. in Decal. cap.7., ubi plures alios cumulat.

419. Quod objici poteſt, non licere ſuper corpus ſuum vivum permittere fieri ſuperſtitiones, ſicut non licet Virgini permittere ſe vivam ſtuprari; ergo neque licere, permittere fieri ſuperſtitiones ſuper corpus mortuum, nihil evincit. Negatur quippe conſeq. Nam, qui ſuper corpus ſuum vivum permittit ſuperſtitiones fieri, aut corpus ſuum vivens violari, peccat, eoquia in ſua eſt immediata poteſtate impedire violationem, aut ſuperſtitionem reſiſtendo; quare non reluctando cenſetur conſentire; qui verò permittit corpus ſuum mortuum, aut ſuperſtitiosè ſepeliri, aut violari, non peccat, eo quia id non eſt in ſua immediatè poteſtate, nec poteſt ab ipſo impediri, tametſi reluctaretur; quare ſicuti Virgo non peccaret efficiendo rem licitam ex ſe, tametſi prævideret, corpus ſuum, poſt mortem eſſe violandum: ita non peccat Miſſionarius fidem occultando morti proximus, ſi neceſſitas, id poſtulet, etiamſi prævideat, corpus ſuum Ethnica ſuperſtitione tumulatum iri, cum circa hoc nullum ipſe penitus influxum habeat. Neque opus eſt, actionem ex ſe licitam, & laudabilem ſemper omitti, ex eo quia peccatum ejus obtentu committi poſſe prævidea-

videatur, alioquin Mulieres formoſæ tenerentur ſemper domi conſiſtere, nec Miſſam audire, neque ad fores, aut feneſtras domus accedere, eoquia eorum aſpectu juvenes diſſoluti poſſent abuti, quod ſanè nullus Theologus dixerit; adeoque cum nulla ſit moralis connexio inter ſilentium in Fide, atque Ethnicam ſepulturam, uti nec inter actionem licitam Virginis, ejuſque poſt mortem proſtitutionem: ſicut licitum eſt ſecundum, ita culpa carere primum dicendum eſt.

QUÆSTIO XXIII.

An Miſſionarius Regi Ethnico cariſſimus ad ejuſdem epulas ſuperſtitionibus plenas, atque ad Templum Idolorum die inaugurationis ſuæ ad Regnum annuæ recurrente, vocatus gratia honoris, eiſdem licitè poſſit intereſſe?

420. RESp. Si præſentia ſit purè materialis, hanc licere in præfato caſu ſivè in Templo, ſivè in Convivio.

421. Ducor autem. Quia Clem. XI. in Decretali illa celeberrima, incipit. *Ex illa Die*, qua de controverſiis Sinenſibus ſolemne tulit judicium, doctrinam hanc minimè repellit, aut damnat. Cum enim dixiſſet: *Nulla de cauſa &c.* ſubdit ad rem noſtram. *Non tamen per hæc cenſendam eſſe damnatam præſentiam illam merè materialem, quam cum Gentilibus ſuperſtitioſa peragentibus, citra ullam ſivè expreſſam, ſivè tacitam geſtorum approbationem, ac quovis miniſterio penitùs ſecluſo, iiſdem ſuperſtitioſis Ritibus quandoque præſtari contingat à Chriſtianis, cum aliter odia, & inimicitiæ vitari non poſ-*

poſſunt , facta tamen priùs , ſi commodè fieri poteſt , Fidei proteſtatione , ac ceſſante periculo ſubverſionis; ergo non eſt illicita præſentia illa Miſſionarii coram Gentilibus ſivè in Convivio, ſivè in Templo ſuperſtitioſa peragentibus, ſi ſit purè materialis, & quidem ob graviſſima motiva conſervandæ in Regno Religionis Orthodoxæ, abſitque ſcandalum, & periculum ſubverſionis, ut in caſu noſtro ſupponimus.

422. Confir. Licitum eſt animo indagandi, irridendi, aut confutandi Ritus Gentilium, aut Hæreticorum eorum Templa adire, ſcandalo, & diſcrimine ſubverſionis remoto, ex communi apud Bonac. de 1. Decal. Præcept. Diſp.3. Quæſt.2, Punc.3. Propoſ.2. n.21.; ergo idipſum licet ad evitandum Religioni Orthodoxæ graviſſimum incommodum; quod contingeret in caſu, quo Miſſionarius nollet intereſſe Templo, aut Convivio, ad quæ ab Ethnico Rege benevolenter invitatur; nec video rationem cur unum liceat, alterum dedeceat, ſi præſentia in utroque caſu ſit merè materialis.

423. Patres autem, & Concilia utique omnem Ritibus Ethnicis, & Hæreticis præſentiam reprobarunt, formalem tamen, & approbativam, non verò ſimpliciter materialem, & negativam, nullamque ſuſpicionem cum ipſis in Dogmate, aut Ritu communicationis ingerentem. Videntur autem univerſaliter loqui, non quia caſus aliquos non admitterent cum Ethnicis communicandi, nempe in rebus merè politicis, vel in Sacris præſentia merè materiali juxta doctrinam Tertul. de Idolol. cap.16. ſed ne anſam abuſibus inducendis hujuſmodi indulgentiâ præberent.

424. Martyres Tebæi, qui adduci in oppoſitum poſſunt, interfecti, eo quia Feſtis, &

Templo Ethnicorum adeſſe noluerunt, ad rem non faciunt; cum vocati fuerint non uti ſimplices Rituum Ethnicorum ſpectatores, ſed ut ipſorum participes, & veneratores fierent ſimul cum Exercitu immolante, & acciti fuerunt mandato indicto Imperatoris in odium Fidei, & cultum falſæ Religionis, & quidem pœnas minitando: Miſſionarius autem tantummodo blandè invitatur non odio Religionis, ſed titulo erga eumdem honoris, non ut prophanorum Rituum particeps fiat, ſed ut ſimpliciter interſit.

QUÆSTIO XXIV.

An Catholici apud Indos herbas quaſdam determinatis temporibus colligentes, interim verò nonnullas Orationes recitantes: herbas verò ægrotis cum certo numero Crucium, ac precum pro ſanitate recuperanda applicantes, rei ſint ſuperſtitionis, vel ſaltem de vana obſervantia ſuſpecti?

425. RESp. Non eſſe, niſi aliquid vanum ibi admiſceatur.

426. Ducor autem. Quia herbas colligere medicinales ex objecto malum non eſt: addere preces ad Deum, ut earum collectioni faveat, pium, & Chriſtianum eſt. Signum Crucis addere, optimum eſt; illo quippe ſigno ſalutari fraudes Dœmonis propelluntur: hinc in Primitiva Eccleſia mos erat omnia Crucis ſigno præmuniendi ex Tertl. de Coron. Mil. cap. 3. & eſt unum ex Sacramentalibus. Numerus verò Crucium, & Orationum, niſi in illis præciſè ſpes collocetur, non eſt reprehendendus, ab Eccleſia in Ritibus, ſuis quotidie adhibitus, quam ſequi debet, uti Magiſtram, Cap. *Omnes* Diſt. 22.

Pro-

Propterea Bordon. in Tribunal. Inquiſit. cap. 18. de Sortil. Quæſt. 16. excuſat à Sortilega ſuperſtitione, qui Eccleſiam Sanc. Michaelis minimè ingrediuntur, niſi priùs extra ſereno Cœlo novies, pluvio autem totidem illam circum circa luſtraverint: quo facto, poſtea eamdem oraturi intrare incipiunt. Excuſat quoque, illos, qui morbo comitiali laborantes nocte Vigiliæ B. M. in una Eccleſia, & in alia Sanc. Geneſii ſaltare ſolent, quemadmodum quoque ſanantes morſum canis rabidi ſigno Crucis, & invocatione Sancti Domnini. In his enim caſibus nullo modo utentes hujuſmodi remediis fidunt ſigno ſecundum ſe ſpectato, ac materialiter inſpecto, ſed ob myſteria Redemptionis contenta; ac Dei virtutem, quem in adjutorium vocant.

427. Dixi autem in reſolutione: *Niſi aliquid vanum admiſceatur*: Si enim id contingat, colligendo herbas tali die, niſi ad Feſtum alicujus Sancti referatur, tali hora, tali inſtrumento, quæ non haberent ſpeciales in ſe rationes; vel Orationes eſſent exoticæ, atque in Eccleſia inuſitatæ; vel tali idiomate, & non alio: Cruces quoque neque plures, neque pauciores abſque ulla ad Religionis myſteria, vel Sanctorum cultum relatione; tunc quoniam ſpes in re inutili, ac vana poneretur cum effectu nullam connexionem habente, aut ſuperſtitio revera adeſſet, aut ſaltem ejuſdem ſuſpicio, ut optimè Bordon. cit. cap. 18. Quæſt. 5., niſi bona fides, aut ignorantia excuſet, ex eodem Quæſt. 10., qui ibidem reſolvit, poſſe quidem à Fidelibus deferri ad collum appenſas Orationes, Reliquias, & Brevia, at cum his conditionibus, ut nihil omnino falſitatis contineant: nullum verbum ignotum, & exoticum habeant: nullo ſigno, aut caractere præter Crucem ſint inſigni-

ta: nullus modus, figura, aut circumſtantia inuſitata ibi appareat: nulla ſpes firma in eis habeatur, effectum infallibiliter obtentum iri, neque hoc in illis exprimatur. Ita cum Communi Sayrus lib.4. cap.6. Sanchez lib.2. cap.4.

428. Difficultates, quæ objici poſſunt, ex ipſomet corpore Quæſtionis ſolutæ manent.

QUÆSTIO XXV.

An perſiſtens in Infidelitate, vel Hæreſi ex opinione minùs probabili, reus ſit peccatorum ex eadem procedentium, lapſuſque in Cenſuras Bullæ Cœnæ abſolvi poſſit, & à quibus?

429. RESP. In Secta falſa manentes opinione ducti minùs probabili ab Hæreſi, aut Infidelitate minimè excuſari; & propterea in Cenſuras incidere.

430. Prima Pars eſt jam deciſa ab Innoc. XI. Propoſitionem hanc 4. inter 65. proſcribente: *Ab Infidelitate excuſabitur Infidelis, non credens ductus opinione minùs probabili*. Ita tradit expreſsè Layman lib.2. Trac.10. cap.10. Bordon. Tribunal. Sac. Inquiſit. cap.9. Quæſt. 11. Maſt. noſt. 3. Sent. Scoti Diſt.6. Quæſt.10. art. & evinci videtur ſequentibus Argumentis.

431. Primo, ſequens opinionem minus probabilem in materia Religionis imprudenter agit; ergo non eſt tutus in conſcientia. Conſeq. patet. Prob. ant. Qui ſequitur opinionem minùs probabilem in materia Religionis ſequitur Religionem minùs credibilem, hic autem non eſt tutus in conſcientia, cum teneatur ſequi Religionem, quæ majora oſtendit ſigna credibilitatis; & propterea Miſſionarii inſudant, ut Catholicam probent Religionem eſſe magis credibi-

dibilem, quam cæteras quaſcumque Sectas adverſarum Religionum; ergo neque tutus eſt in conſcientia, qui ſequitur Sectam ſuam ductus opinione minùs probabili.

432. Secundò. Sicut ſe habet ſcibile ad ſcientiam, ita ſe habet credibile ad Fidem: at nemo cenſeretur prudens, qui eligeret opinionem, quæ minùs vera ſibi appareret, nec niſi violenter poſſet à ſeipſo aſſenſum extorquere; ergo etiam nemo niſi imprudenter eligit Fidem, quam minùs credibilem cenſet.

433. Tertiò. Tenemur ſequi opinionem probabiliorem ſub pœna gravis peccati, quando ex ejus omiſſione ſequi poteſt damnum irreparabile, ex Sayro Clavi Reg. lib. 1. cap. 6., Becan. Trac. 1. de Bonit. Act. Human. Quæſt. 9. Bonac. diſp. 2. Quæſt. 4. Punc. 9., alios cumulante: at ſequendo Sectam ſuam cum opinione minùs probabili, incurri damnum poteſt irreparabile, nempe jactura Fidei, ſine qua *impoſſibile eſt placere Deo* ad Heb. 11. 6. recta enim Fides apud ſolam veram Eccleſiam invenitur; ergo tenemur ſequi opinionem magis probabilem in materia Fidei; ergo ſequens opinionem minùs probabilem, & permanens in Secta ſua malè agit, nec eſt in conſcientia tutus.

434. Argumentum hoc adeo validum eſt, ut Ponc. noſt. Curſ. Theolog. Diſput. 28. aſſerat debere quempiam Religioni Orthodoxæ adherere, quamvis adeſſent motiva æqualia credendi, vel non credendi: quandoquidem credendo nulla fit jactura, ſicuti nulla fit ejuſdem præcepta ſervando, etſi falſa eſſet Religio, quæ illa proponit: non credendo autem, nec ſervando, quæ proponit, periculum imminet, ſi vera ſit, irreparabile ſalutis æternæ: nulla autem prudentia dictat in dubio

omit-

omitti deberé, cujus omiſſio damnum infert irreparabile ſalutis æternæ; ergo etſi Sectæ Fidei Orthodoxæ oppoſitæ eſſent æquè probabiles, adhuc prudentia doceret, Chriſtianam Religionem amplectendam; igitur multò fortiùs ratio dictat, cum ſint minùs probabiles, eſſe repellendas, & Catholicam Fidem ſuſcipiendam; adeoque cum opinione minùs probabili de veritate Sectæ ſuæ nec licet eam retinere, nec eam licuit amplecti.

435. Rurſus ex Sanchez lib. 1. Oper. Moral Diſp. 9. non licet uti opinione minùs probabili in Tertii detrimentum, & propterea nec in collatione Baptiſmi, Sacrique Ordinis, nec à Medico, nec à Judice in praxim poteſt reduci; ergo neque licet uti opinione minus probabili in retinenda falſa Religione. Prob. conſeq. Non minus tenemur diligere noſmetipſos, quam Proximum; ergo ſicut non licet ſequi opinionem minùs probabilem in damnum Tertii redundantem, ita non licet uti in damnum proprium: at uſus opinionis minus probabilis in materia Fidei redundat in damnum proprium ſpirituale, nempe jacturam ſalutis æternæ numquam in falſa Secta aquiſibilis; ergo illicitum eſt tam Infidelibus, quam Hæreticis manere in Secta ſua ductis opinione minùs probabili.

436. Et profectò Infideles omnes, & Hæretici ab omni hæreſi, & infidelitate poſſent excuſari, cum nulla Secta detur, aut error adeo exploratus, qui ſuos non habeat defenſores; nulla quippe datur turpitudo ſine patrono, & fucatis aliquibus rationibus minimè nitatur, quibus non rectè perſpectis, ſapientes ipſi interdum capiuntur, uti de ſeipſo Magnus Auguſtinus fatebatur Lib. 4. Confeſſ. Cap. 1.

437. Ulteriùs, magnam Deo injuriam Infide-

fideles, Hæreticique inferunt, nolentes objectis revelatis credere opinione ducti minùs probabili, cum objectis nolint credere, nedum ſufficienter, ſed cum majori probabilitate propoſitis; confitentur enim, objecta, quæ à Fide Orthodoxa proponuntur, eſſe magis credibilia, quam propoſita ab aliis Sectis; ergo ſicuti prudenter aſſentirentur, ita imprudenter diſſentiunt, nec habent rationabile motivum aſſenſum denegandi Religioni, quam ipſi majori probabilitate putant eſſe veriorem.

438. Neque excuſantur ex hoc, quod habentibus opinionem minùs probabilem non appareat Orthodoxa Religio ſummè credibilis, ſed ſolummodo magis credibilis: nam ad hoc, ut excuſatione omni deſtituantur, ſufficit Fidem Orthodoxam eſſe prudenter credibilem; eſt autem prudenter credibilis, ſi Sectas omnes in credibilitate notabiliter excedat, eſto dubia omnia, quæ poſſunt exurgere ob myſteriorum obſcuritatem nullatenus excludat, alioquin neque Sectam propriam ipſi quoque ſequi deberent, dubiis profectò longè gravioribus involutam. Sufficit ergo ad prudenter agendum, Religionem, quam amplecti tenentur, eſſe cæteris credibiliorem, qualis de facto eſt Chriſtiana, & Orthodoxa, cæteras alias in credibilitate, etiam juxta Adverſarios, excedens; Hæretici ergo, & Infideles imprudenter agunt, eam non ſequentes opinione ducti minùs probabili; ergo in conſcientia nequaquam ſunt tuti.

439. Ex his ſequitur ſecunda Pars, nempe Hæreticos in Secta ſua ex opinione minus probabili perſiſtentes Cenſuris affici in Bulla Cœnæ contentis. Nam Cenſuras incurrunt veri Hæretici: at tales ſunt, qui nolunt credere obje-

ctis ab Eccleſia propoſitis opinione ducti minus probabili: Hæretici enim ſunt, qui nolunt credere credibilia ſufficienter ab Eccleſia propoſita 24. Quæſt. 3. Cap. *Quæ in Eccleſia*: at, qui opinione innixi minùs probabili Hæreſim ſequuntur, nolunt credere objectis ſufficienter ab Eccleſia propoſitis; tenentur quippe obedire Eccleſiæ, quam putant probabiliùs eſſe Chriſti Sponſam; ergo nolentes credere ſicuti veri ſunt Hæretici, ita Cenſuras incurrunt, adverſus eos ab Eccleſia latas.

440. Et profectò, ſi hoc eos excuſaret, pauciſſimi eſſent Hæretici, cum nemo ſit, qui ſuos errores aliqua apparenti ratione non tueatur; & nihilominus Eccleſia omnes ad ſe venientes à Cenſuris abſolvit; ergo ſicuti eos putat fuiſſe verè Hæreticos, etſi opinione aliqua ſpecioſa ſeducti in Hæreſim permanerent, ita cenſet quoque in Cenſuris incidiſſe.

441. Conf. Nam Rebelles incurrunt pœnas adverſus eos à Republica politica latas, etſi rebellionem defendant ſub inani titulo opinionis alicujus, etſi minùs probabilis; ergo etiam Rebelles Eccleſiæ incurrunt pœnas ab ipſa adverſus eos ſancitas, quales profectò ſunt Cenſuræ: at Hæretici ſunt Eccleſiæ Rebelles; ergo ſicuti pœnis Rebellium Principi Laico plectuntur, qui eidem obtemperare nolunt, etſi opinione aliqua minùs probabili crimen ſuum diluere contendant, ita pœnas Eccleſiaſticas, nempe Cenſuras, incurrunt, qui ſub obtentu opinionis minùs probabilis Eccleſiam agnoſcere, ipſique obtemperare detrectant.

442. Quæ objici poſſunt facilè diluuntur. Quod opponitur, in aliis rebus licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori, agnita ut tali, uti multi graviſ-

ſimi

ſimi Authores apud Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 1. Quæſt. 4. art. 2. num. 63. ergo etiam in electione, aut retentione Religionis: Permiſſ. antecedente, quod ab aliis quoque graviſſimis Theologis acerrimè reſpuitur, cit. Maſt. ibidem teſtante, neg. conſeq. Nam in aliis caſibus, in quibus uſus opinionis minùs probabilis admittitur, agitur de actibus humanis ab opinione, atque æſtimatione hominum plerumque pendentibus; & propterea à probabilitate pendet, quod peccatum evitetur, nec actio aliqua imputetur ad culpam, alioquin neque probabiliſſimam ſequi poſſemus, ſi ſemper in omni caſu tutior eſſet eligenda, quod tamen falſum eſt, hac Propoſitione ab Alexandro VII. damnata: *Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam*: In electione autem, aut retentione veræ Religionis, quæ non pendet ab opinione, nec verſatur in re agibili humana, ſed reſpicit radicem Fidei, à qua pendet ſalus æterna, & cujus amiſſio damnum infert irreparabile, non licet ſequi ſententiam minùs probabilem, ſed probabiliorem, ſi appareat, ut contingit in caſu: & hoc adeo verum eſt, ut etiam opinionis probabilis tutores aſſerant, eam ſequi non licere, quoties damnum Tertii incurritur, ut contingit in Judice, Medico, Advocato, vel quoties Sacramentum ad ſalutem neceſſarium, periculo invaliditatis exponitur, uti in Baptiſmo, Pœnitentia, Sacra Ordinatione, & ſimilibus, cum validitas Sacramenti ab opinione non pendeat. Hinc ſi quis ex ignorantia invincibili falſam Sectam profitetur, non peccat quidem, at numquam æternam ſalutem conſequetur, à recta fide, veluti à radice pendentem.

443. Concedo quoque, quod ulterius objicitur,

citur, opinionem probabiliorem eſſe poſſe falſam: attamen, quoniam talis minimè apparet, ſed potiùs certior, & evidentior emicat, prudentia docet, in negotio graviſſimo, eam potiùs ampléčti oportere, quam oppoſitam. Nam amplectendo, etiamſi falſa ſit, nihil amittimus: non amplectendo autem irreparabile ſubimus detrimentum perditionis æternæ. Hinc videmus, Viros graviſſimos opinioni ſolummodò minùs probabili nequaquam fidiſſe, ſed ad ulteriora proceſſiſſe, donec Orthodoxæ Religionis agnita veritate, eidem nomen dederunt.

444. Quod opponitur adverſus ſecundam Partem, eos nimirum, qui ducti opinione minùs probabili in Secta ſua permanent, non videri contumaces, nequaquam cogit. Tumquia ignorantia non excuſat à Cenſuris, niſi ſit invincibilis. Tumquia, qui ducti opinione minùs probabili in Hæreſi perſeverant, verè ſunt contumaces, cum Eccleſiæ reluctentur obſequi, cui, ut ſe ſubmittant, gravi moventur fundamento, & imprudenter eidem reſiſtunt, fortioribus argumentis ad obtemperandum impulſi.

445. At inquires, utrum æquali apparente probabilitate, Eccleſiæ non obſequentes, ſint in conſcientia tuti, nam opinio tutior non ſemper eſt verior?

446. Reſp. Cum Ponc. noſt. loc. cit. debere Religioni Orthodoxæ homines hujuſmodi aut adhærere, cum ſit tutior, & tutior via in materia Religionis eligenda eſt; aut ſaltem exactiorem diligentiam adhibere: non enim fieri poteſt, Religionem Orthodoxam, quæ in rei veritate unica eſt ad ſalutem via, non apparere quoque reipſa probabiliorem, imò certiſſimam,

ſimàm, cum cæteræ Sectæ vel nullum, vel ſaltem futile ſolummodò fundamentum habeant.

QUÆSTIO XXVI.

An Latini apud Græcos commorantes, aut Græci apud Latinos eorum teneantur reſpectivè Feſta ſervare?

447. RESP. Affirmativè. Ducor autem quoad primam partem. Nam Advenæ, & Peregrini domicilium habentes tenentur ad Leges Locorum, in quibus morantur, niſi Privilegio aliquo eximantur, uti pluribus congeſtis DD. evincit Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 2. Quæſt. 5. art. 1. ſed Latini apud Græcos non merè tranſeuntes ſunt, ſed domicilium habent pro aliquo tempore ob diverſos fines, nec ullo fulciuntur, ut ſupponimus, privilegio; ergo tenentur ipſi, & eorum famuli Feſta illius Loci ſervare.

448. Conf. illius Eccleſiæ debent Feſta ſervari, à qua de jure ſumuntur Sacramenta, niſi alium Fideles habeant Sacerdotem: at Latinus in Oppido Græcorum Catholicorum moram trahens, niſi ſit propria erecta Eccleſia, deberet à Parocho Græco ſumere Sacramenta, defunctuſque ſepeliri; ergo illi eſt Eccleſiæ ſubjectus; adeoque ejuſdem quoque Feſta ſervare tenetur, uti contingit etiam inter ipſoſmet Catholicos Latinos.

449. Secunda quoque Pars eſt manifeſta. Tumquia expreſsè habetur in Bul. Clem. VIII. *Sanctiſſimus*. Tumquia ex hoc, quod Græci Ritum ſuum ſervare permittantur, non tamen ab obedientia Eccleſiæ Romanæ eximuntur, præcipiente, Feſta Eccleſię Occidentalis in ejuſdem

dem Locis ab omnibus ſervari ; ergo in eâ morantes Græci, ad eorum obſervantiam tenentur, nullum iiſdem præjudicium inferentem, cum nihil aliud dicat, quam auditionem Miſſæ, & abſtinentiam à ſervilibus.

450. Hinc deducitur, Græcum Latinos, Latinum Græcos famulos habentem die ibi Feſtivo non poſſe eos applicare operi ſervili, tametſi Ritu ſuo non habeant Feſta illa. Nam degentes in Loco, ubi Feſtum ſervatur, etiam ipſi tenentur ratione Loci. Si verò Græcus haberet famulos Latinos, in quorum ditione Feſtum aliquod ſervaretur, non tamen ubi ipſe moratur, tunc ſicuti ipſi ad cultum Feſti proprii non tenentur, ita nec Herus tenetur; adeoque poſſet eos operi ſervili adjicere, uti elicitur ex Sanchez Lib. 3. de Matrim. Cap. 19. Inter Infideles verò, etſi tam Herus, quam famulus ad Feſta propria ſervanda minimè teneantur, tenentur tamen ad Feſta ſervanda, quæ ab univerſali Eccleſia cuſtodiuntur, etſi Domino etiam inter Infideles ſua propria cuſtodienti famuli ſe conformari debeant.

451. Ex his eliduntur objecta adverſus primam Partem, nempe Latinos non teneri ad jejunia Græcorum; ergo neque ad Feſta. Neg. quippe conſeq. Nam Feſta ſervare tenentur Latini non ob Leges Orientalis Eccleſiæ, quibus minimè obſtringuntur, ſed ob conſuetudinem Loci, in quo reperiuntur, & cujus Legibus obtemperare debent.

452. Ob eamdem rationem tollitur ſecunda objectio, nempe ſervare Feſta eſſe quemdam partem Ritus Eccleſiæ Orientalis, ad quem Latini non obſtringuntur: jam enim dictum eſt ad illa teneri non ratione Ritus, ſed Loci, cujus Leges etiam ipſos Latinos afficiunt.

453. Ad-

453. Adducenda contra ſecundam Partem ejuſdem ſunt rationis, ſicuti adducta contra Primam; & ideo ſpecialem ſolutionem non exigunt.

454. Si autem inquiratur, quid faciendum ſit in Loco, ubi tam Latini, quam Græci Parochiales habent Eccleſias?

455. Reſp. Nec Latinos Græcorum, nec Græcos Latinorum Feſta teneri ſervare; ſed utrumque Ritum ſuum ſequi oportere: & propterea Latinus Herus famulos Græcos, Græcus Latinos non poſſet abſque peccato compellere ad laborem diebus alterutris Feſtivis; Epiſcopo tamen Feſtum inſtituente ſivè Græci, ſivè Latini à ſervilibus abſtinere deberent, cum ipſi obtemperare teneantur ſivè Græci, ſivè Latini, cujuſcumque Ritus ipſe fuerit.

QUÆSTIO XXVII.

An Catholicus Latinus, inter Orientales degens, ut ſumptibus parcat, Famulis ſuis Ritu Orientali viventibus carnes tempore ipſis vetito miniſtrans, & ipſi manducantes graviter delinquant?

456. RESp. Affirmativè. Et quoad primam Partem patet. Nam illicitum eſt Proximum inducere ad peccandum, etiamſi paratus ſit, ex D.Thom. 2. 2. Quæſt.43. art.4. & 23. Charitati quippe adverſatur: at Herus Latinus apponendo cibos non quadrageſimales famulis ſuis, qui juxta Ritum ſuæ Eccleſiæ ab illis eo tempore tenentur abſtinere, inducit eos ad peccandum, vel ſaltem anſam præbet, nempe ad tranſgreſſionem Legis Eccleſiaſticæ ad jejunium obſtringentis, nullum quippe alium cibum præter vetitum apponit; igitur peccat Herus

Herus ita ſe cum famulis gerendo ! & ſicuti famulos inducens exemplo ſuo ad Legis tranſgreſſionem, graviter peccaret, uti plures docent Doctores apud Sanchez Lib. 1. Cap. 7. Oper. Moral. ita, qui materiam miniſtrat tranſgreſſioni Legis graviter delinquit peccato ſcandali.

457. Secundò ſpeciali quadam ratione idipſum evincitur. Nam Pater familias, qualis eſt Herus reſpectu famulorum, ſtrictiori vinculo tenetur peccata ſibi ſubjectorum impedire: Hinc etiam apud Latinos Herus non poteſt in Quadrageſima cibos interdictos miniſtrare, uti firmat Layman. Lib. 2. Trac. 3. cap. 12. cum aliis, quos adducit; ergo Herus Latinus habens famulos Ritus Orientalis, & in Eccleſia Orientali degentes, lethaliter delinquit, ipſis miniſtrando cibos eo tempore in Eccleſia ipſorum vetitos.

458. Neque eos excuſat neceſſitas, aut famulos non juberi cibos illos comedere: nam in tali caſu illa neceſſitas non eſt gravis cum ſolummodò paulo majores expenſas adducat, cibos parando ab iis, quibus ipſe veſcitur, diverſos. Neque ad peccatum ſcandali incurrendum juſſione opus eſt, ſed ſufficit exemplum, conſilium, materiæ vetitæ exhibitio.

459. Secunda quoque Pars conſtat. Nam famulus Ritûs Orientalis, atque in ſua Eccleſia manens tenetur ſub mortali ſervare jejunia ab eadem præſcripta: vult enim Eccleſia Romana ab Orientalibus Ritum eorum ſervari; ergo comedentes cibos vetitos ab Hero Latino miniſtratos graviter delinquunt, ſicuti ſi miniſtrarentur ab Hero Orientali; ita peccarent famuli Latini veſcentes cibis vetitis ab Hero Græco miniſtratis inter eos degente.

460. Quæ

460. Quæ verò objici poſſunt, nullius ſunt momenti. Quod enim dicitur poſſe abuſuro materiam indifferentem miniſtrari, compellente gravi neceſſitate; adeoque & cibi vetiti famulis comeſturis; nulla eſt conſeq.; cibi enim vetiti non ſunt materia indifferens, ſed peccaminoſa: neque urget in caſu gravis neceſſitas, cum agatur tantum de aliquali Heri incommodo, qui cibos eſuriales pro famulis Græcis emere deberet.

461. Verum eſt quoque, quod objicitur II. Legem Eccleſiaſticam non obligare, vera urgente neceſſitate: at in caſu noſtro, ubi eſt iſta neceſſitas gravis, cum ſolummodò leve incommodum Hero incumbat cibos eſuriales pro famulis Græcis emendi, quod tamen libenter ſubiret, ſi commodum aliquod ſibi obveniret?

462. Quod III. opponi poteſt, Caupones Catholicos inter Hæreticos Occidentales verſantes, eis propinare diebus jejunii, & Quadrageſimæ carnes, & lacticinia, excuſarique à Sanchez lib.1. Moral. cap.7. quem ſequitur Buſemb. lib.2. Trac.3. art.3. num.6. parum urget. Tumquia ſententia illa Sanchez non eſt omnibus communis. Tumquia Hæretici non ſubduntur poteſtati Cauponum, ſicuti ſubduntur famuli reſpectu Heri. Tumquia Hæretici aliunde cibos ſibi vetitos compararent, & peccatum eorum minimè vitaretur: ipſi vero damnum haud modicum ſentirent, Adventoribus ad alios declinantibus: famuli autem Græci, non ita facilè apud alios invenirent, unde gulæ ſatisfacerent, Quadrageſimam violando.

463. Quæ adverſus ſecund. Partem objici poſſunt, nempe famulos Heris obtemperare debere, ne familiæ tranquillitas turbetur, eoſque gravi premi neceſſitate, quandoquidem, ſi expellerentur,

tur, alios Dominos non ita facile inventuri eſſent, facilè ſolvuntur. Quantum enim ad primum, utique Heris obediendum, at minime adverſus Dei, & Eccleſiæ Præceptum; neque turbatur familia obſequendo Eccleſiæ mandatis. Quantum ad ſecundum, nulla gravia incommoda occurrunt in caſu; quamvis enim Domo expellerentur, etſi non invenirent Dominos, qui eos permitterent carnibus veſci diebus vetitis, alii tamen ſuppeterent, qui cibos miniſtrarent, non gulæ, ſed tempori competentes.

464. Quæres I. An famuli Latini teneantur Hero Greco obtemperare jejunia Eccleſię Orientalis præcipienti?

465. Reſp. Poſſe quidem obtemperare, cum obſervantia illa jejuniorum in ſe bona ſit, dummodò id non faciant in obſequium Ritus Orientalis: non tamen teneri, cum Legibus Orientalis Eccleſiæ minimè obſtringantur; adeoque neque poſſunt ad id compelli.

466. Quæres II. An Uxor Græca Catholica Viri Latini manentis inter Græcos valeat ſe Conjugi conformare, comedendo cibos non Quadrageſimales eo tempore, quo juxta Ritum ſuum jejunare, vel à carnibus, ac lacticiniis abſtinere tenetur?

467. Reſp. Marito nequaquam ægrè ferente, aut minimè impediente, non poſſe conformari, ſed teneri obſervare abſtinentias Eccleſiæ ſuæ. Lex enim Eccleſiaſtica ſervari debet, niſi gravis admodum neceſſitas abſterreat: ſi verò Maritus ægrè ferret, & ex hoc diſſidia gravia matrimonialia exurgerent, tunc cenſeo, poſſe Mulierem Græcam conformari ſe Marito Latino jejunia minimè ſervanti. Nam Lex de tuenda cum Viro matrimoniali concordia, utpote naturalis, & Conjugium ipſum ſequens, prævalet

valet Eccleſiaſticæ, & Græcæ de abſtinentia exactè ſervanda, quæ poſitiva humana, & Nationalis eſt, ob juſta motiva diſpenſabilis; adeoque in tali caſu Conjux Græca nullatenus peccaret.

QUÆSTIO XXVIII.

An Miſſionarius Græcis Catbolicis die Sabbati nolentibus jejunare, atque à carnibus abſtinere, poſſit Sacramenta miniſtrare?

468. RESp. Poſſe. Ratio eſt. Quia quantum ad hoc præcisè nequaquam ſunt indiſpoſiti, cùm ad hujuſmodi jejunium, atque à carnibus abſtinentiam minimè teneantur, uti declaravit Innoc. IV. Conſtit. 14. *Sub Catholicæ*, & Clem. VIII. Bul. 34. *Sanctiſſimus*, Tom. 3. Bullar. Patr. Cherub. §. 6.; ergo retinentes hujuſmodi voluntatem, admitti poſſunt ad Sacramenta.

469. Accedit Ratio. Nam conſuetudo legitimè introducta, atque præſcripta excuſat à peccato, ex com. Theol. apud Bonac. Diſp. 3. de Leg. Punc. ult. §. 3. In Eccleſia autem Græca vetuſtiſſima viget conſuetudo comedendi carnes in Sabbato, nec eo die jejunandi tempore Quadrageſimæ, neque reperitur ab Eccleſia Romana rejecta, ſed permiſſa, cum tamen alios Ritus Græcorum reprehenderit, atque prohibuerit: ergo hujuſmodi conſuetudo Græcos excuſat à peccato, ac proinde ob hanc cauſam à Sacramentis minimè repellendi.

470. Argumentum, quod in oppoſitum poteſt adduci, nempe habentes voluntatem actualem peccandi ad Sacramenta eſſe ineptos: tales autem eſſe Græcos nolentes die Sabbati à

carnibus abſtinere, nec jejunium eodem die in Quadrag. ſervare, quod ab Univerſali ſervatur Eccleſia, ab Apoſtolis acceptum, apud Bellarm. lib.2. de Bon. Oper. cap.7. & 14., ſolvitur facilè neg. conſeq. Lex enim jejunii ſervandi in Quadrageſima quoad Sabbatum, atque à carne eodem Die abſtinendi, utpote purè Eccleſiaſtica per oppoſitam conſuetudinem legitimè præſcriptam, habentem vim Legis, tolli poteſt, ut ſuperiùs oſtenſum eſt. Eccleſia autem Orientalis antiquiſſimo tempore hunc morem induxit ob graviſſimam cauſam, ne ſcilicet Simonis Magi Diſcipulos ſequi videretur, qui propterea die Sabbati jejunabant, ut odium oſtenderent adverſum Authorem Sabbati, nempe Deum Hebræorum, qui Legem Moſaycam ediderat, Orbem condiderat, & ſeptimo Die requieverat, utpote malum, & propterea necatum à Chriſtianis, & à Chriſto ipſo proſcriptum, ac proinde Chriſtifidelibus odibilem, quam quidem inſaniam Manichæi, aliique Hæretici tenuerunt, de quibus Iren. lib.1. cap.20., & Epiphan. Hæreſ. 21., & 28. apud Cabaſut. Notit. Concil. ad Can. 50. Concil. Laodic. ſicut oppoſitum ob alios fines Eccleſia Occidentalis egit, quorum meminit Innocen. I. Epiſt.1., hinc, exiſtente privilegio legitimè inducto, non ſequitur, à Græcis Catholicis Legem Eccleſiaſticam, qua talis eſt, violari, aut peccatum ullum lethale committi.

471. Hinc ſequitur, Mulierem Latinam Viro nuptam ex Orientalibus Catholicis die Sabbati carnes edere citra peccatum poſſe. Nemo enim extra Territorium obſervare ejuſdem Leges tenetur, in quo ipſæ minimè ſervantur ex privilegio, ex Com. apud Sanchez lib.2. de Matrim. Diſp.19.

472. Eo-

472. Eodem modo Advenæ, & Forenſes tranſeuntes per Loca Græcorum, à quibus die Sabbati carnes comeduntur, poſſunt eiſdem veſci, ut tranſeuntes per Loca ubi Feſtum non ſervatur, quod ſervatur in Loco, à quo diſceſſerunt, non tenentur ad illud ſervandum, ex Com. apud Bonac. de Leg. Diſp. 1. Quæſt. 1. Punc. 6. Nec eſt major ratio, cur Græci Latinorum Privilegiis gaudeant; Græcorum verò Indultis Latini frui non poſſint.

473. Secus eſſet, ſi Latini, & Græci in Locis per quæ tranſeunt, proprias Parochias haberent; tunc enim ſicuti inter ſuos cenſerentur reſpectivè vivere, ita Forenſium, & Peregrinorum privilegiis minimè gauderent.

474. At in caſu Jubilæi, quomodo à Græcis jejunium ſervabitur, cum die Sabbati præſcribi ſit conſuetum?

475. Reſp. A' Clem. VIII. Bul. cit. *Sanctiſſimus* huic incommodo fuiſſe proviſum, ut nimirum dies jejunii pro Jubilæo obtinendo indicta ab Epiſcopis in alium diem transferatur. Quocirca poſſunt quoque Græci facillimè, ſicuti Latini Jubilæum conſequi, quin inveterata eorum conſuetudo ullo modo immutetur.

QUÆSTIO XXIX.

An Indi ad Jejunia, & Feſta ſervanda, Miſſionarii verò ad illa iiſdem indicenda teneantur?

476. RESp. Teneri. Deciſum hoc habemus à Sacra Congregatione de Propag. Fide, anno 1645., & ab Innoc. X. confirmatum, apud Pignatel. Tom. 5. Conſul. 45. Interrogata enim, utrum Chriſtiani Chinenſes tenean-

neantur ad Jus poſitivum Eccleſiaſticum, quantum ad Jejunia, confiteri ſemel in anno, & communicare, Feſta ſervare eo modo, quo obligantur Indi in Nova Hiſpania, & in Inſulis Philippinis juxta diſpoſitionem Pauli III.? reſpondit affirmativè; & Miſſionarios teneri hujuſmodi obligationes eiſdem ſignificare;..& ponit modum quomodo præfatorum Populorum imbecillitati conſuli queat, nempe diſpenſationem Pontificiam impertiendo, quoties neceſſitas contigerit; ergo ſupponuntur teneri: diſpenſatio enim non tribuitur, nec petitur, niſi ſupponendo Legis obligationem, Diſt. 3., Cap. *Privilegia*, & exceptio firmat regulam in contrarium L. *Quæſitum* §. *Denique* ff. *De Fundo* Inſtrum. Gloſs. in Rubr. de Reg. Juris in 6.

477. Et Ratio eſt apertiſſima. Quia Lex Eccleſiaſtica de Jejunio, & quidem antiquiſſima ab ipſis hauſta Eccleſiæ Principibus, generalis eſt, & neminem excipit, remque præſcribit in ſe bonam, & ad ſalutem Animæ ordinatam; ergo ad ejus obſervantiam omnes Chriſtifideles obſtringit; ergo etiam Indos, cum nulla ſit ratio, cur iſti eximi ab eadem debeant, non autem aliæ Nationes.

478. Confir. Nam reliquæ Leges Eccleſiaſticæ communicandi nimirum in Paſchate, Miſſam audiendi ſingulis Feſtis, & ſingulis annis Sacramentaliter confitendi, Fideles omnes comprehendunt, ex Lateran. IV., Cap. *Utriuſque Sexus*, & ex præfatis Sac. Congregationis Decretis; ergo etiam præceptum Jejunii omnes comprehendit, nemine excepto.

479. Secunda quoque Pars ſuadetur. Nam Miſſionarii Apoſtolici ſunt publici Præcones Veritatis, & Evangelii, Eccleſiamque ipſam repræſentant, à qua mittuntur; ergo ſicuti tenentur

tur Præcèptá Chriſti Fidelibus promulgare, uti ejuſdem Legati, cum pro Chriſto Legatione fungantur, 2. ad Cor. 5. 50.; ita tenentur Præcepta Eccleſiæ promulgare, cujus quoque Legationem ſuſtinent.

480. Conf. II. Miſſionarii Apoſtolici Apoſtolos imitari debent, qui normam præbuerunt Legis Evang. annuntiandæ, Eccleſiæ ſtabiliendæ, atque regendæ; Apoſtoli autem Auditoribus ſuis nedum Dogmata proponebant credendà, ſed etiam Decreta ipſorum ſervandæ, ex Act. 15. 20. ex quo habemus, celebrato Jeroſolymis Concilio de abrogatione Legalium, editiſque Decretis, quibus fornicatio, ſuffocatum, atque Idolothyta vetebantur, miſſos fuiſſe Paulum, & Silam, ut nedum Verbum Dei annuntiarent, ſed etiam Apoſtolica Decreta promulgarent, dicitur quippe de Paulo Act. 15. 41. *Confirmans Eccleſias præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum*. Idipſum dicitur cap. 16. 4. de eodem Paulo, & Timotheo in Diſcipulum aſſumpto: *Cum autem pertranſirent Civitates, tradebant eis cuſtodire Dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & Senioribus*: Iſta autem non reſpiciebant ſolummodò credenda, nempe abrogationem Legalium, ſed etiam Præcepta in agibilibus, ſcilicet abſtinentiam à fornicatione, ſanguine, & ſuffocato; ergo etiam Miſſionarii Apoſtolici non ſolum credenda Neophitis proponere tenentur, ſed agenda, ideſt mandata Eccleſiæ.

481. Et profectò Chriſtus Dominus Apoſtolos ad Evangelium diſſeminandum mittens, non ſolum Doctrinam ſuam, ſed etiam præcepta in operabilibus juſſit promulgari, Mat. 28. 20. *Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*; ergo etiam Eccleſia non tantum

Dogmata ſua jubet à Miſſionariis Populo evulgari, ut credantur, ſed etiam præcepta ſua, ut obſerventur.

482. Nec valet, quod pro Indis adverſus primam Partem objicitur, nempe impoſſibilitas moralis Jejunia, Feſtaque ſervandi ob virium imbecillitatem, & quia ob egeſtatem ad victum neceſſarium quærendum tenentur Dominis famulari, ac proinde tenentur laborare. Quamvis enim neceſſitas vera, & realis à jejunio, & à Feſtorum obſervatione excuſet, id tamen judicare non ad ipſos, cum nemo in propria cauſa ſit Judex, ſed ad Eccleſiam pertinet ſententiam ferre, quæ Legem tulit: ipſa ſapientiſſimè providet, non Legem abrogando, ſed ubi neceſſitas poſtulaverit, diſpenſando, aut declarando, caſus expoſitos in Lege ſua nequaquam comprehendi, uti revera fecit cum Indis, & Chinenſibus, quibus tam circa Feſtorum, quam aliorum præceptorum obſervantiam cum aliquibus limitationibus clementiſſimè diſpenſavit, apud Pignatel. loc. cit. & multa ex juſta cauſa etiam Europæis permittit, ut uſu ipſo comprobatur.

483. Minimè quoque urget, quod adverſus ſecundam Partem objicitur, nempe non teneri Miſſionarios Leges Eccleſiaſticas Jejunii, & Feſtorum obſervantiæ Populis promulgare, quos ſciunt minimè obtemperaturos, eis quippe annuntiatio hæc noceret potiùs, quam prodeſſet; eo pacto, quo juxta plurium Theologorum ſententiam impedimentum dirimens non debet Pœnitenti revelari, qui prævidetur, eo cognito, adhuc in priori Conjugio permanſurus. In primis enim hæc doctrina non omnibus placet, putantibus impedimentum revelari oportere, ſivè Conjux recedere, ſivè non recede-

cedere velle prævideatur. Tumquia diſpar Confeſſarii, ac Miſſionarii ratio eſt; nam Confeſſarius certò ſcit, Pœnitentem ſuum à priori Conjugio minimè receſſurum: Miſſionarius autem ignorat, an iis, quibus Feſta, & Jejunia Eccleſiæ annunciantur, ſint obtemparaturi, cum potiùs Populus integer præſumi debeat velle parere Eccleſiæ, licet nonnulli in particulari reluctentur, quam ipſi refragari. Miſſionarius eſt publicus Promulgator ab Eccleſia miſſus, ut Lex ejuſdem omnibus innoteſcat, ſivè profutura prævideatur promulgatio, ſivè non: Confeſſarius autem eſt in ſecretiſſimo Foro reſpectu unius tantum Pœnitentis Judex, Medicus, ac Magiſter, & ideo mirum non eſſe poſſe Pœnitentem relinquere in ignorantia invincibili, prævidens monitionem minimè profuturam; adeoque à Confeſſario non licet ad Miſſionarium arguere.

QUÆSTIO XXX.

An Catholicus Miſſam Diebus Feſtivis in Templo Schiſmaticorum audiens, dum Sacerdote ex Orthodoxis caret, aut eorum Eccleſiâ, Præcepto ſatisfaciat?

484. RESP. In caſu propoſito, affirmativè. Ducor autem. Quia ponit totum id pro impletione Præcepti, quod jubet Eccleſia, nempe auditionem Sacri externam cum ſufficiente intentione, ac attentione actuali, aut ſaltem virtuali; ergo verè ſatisfacit Præcepto quoad ſubſtantiam, & quoad modum.

485. Neque officit, Miſſam audiri in Templo Schiſmaticorum: nam hæc auditio non interdicitur in generali mandato Miſſam audiendi

Diebus Feſtivis, ſed aliis Canonibus vetatur ob fines extrinſecos non communicandi cum Hæreticis, & Schiſmaticis in Sacris; ergo quoad eſſe ſuum minimè vetatur. Tumquia Præceptum ſervari poteſt quoad ſubſtantiam, etſi malâ circumſtantiâ affectum, ut v. g. ſi quis verè in Quadrageſima jejunaret vanæ gloriæ motivo inductus: vel tributum ſolveret Regi verè debitum, ut ejuſdem ſibi gratiam conciliaret; nec ſanè tenetur tributum denuò ſolvere, aut alia die jejunare; ergo etiam poteſt quis Præcepto Eccleſiæ ſatisfacere de Sacro audiendo in Templis Schiſmaticorum, etſi fortaſſe peccet, non audiendo in Loco, in quo debebat.

486. Argumentum in oppoſitum adducibile, nimirum non ſervari Præceptum dum peccatur; peccatur autem audiendo Miſſam in Templis Schiſmaticorum: facilè ſolvitur, dicendo, non impleri Præceptum dum peccatur quando peccatum tangit ſubſtantiam Præcepti, ut contingit, quando voluntariè fit confeſſio nulla, vel ſacrilega Chriſti manducatio in Paſchate, eoquia Eccleſia præcipit fructuoſam confeſſionem, & dignam manducationem Chriſti, uti ab ipſo fuit inſtituta: non verò quando tangit circumſtantiam merè extrinſecam, uti eſt Templum reſpectu Sacrificii.

487. Catholicus quoque ille non videtur peccare, cum deſit copia Templi Catholicorum; ipſe verò ex ignorantia fortè invincibili putet ſibi licere, & conſultiùs eſſe Miſſam audire in Templo Schiſmaticorum, quam nullam, cum inter Hæreticos, & Schiſmaticos plerumque deſint Viri docti, qui conſuli poſſint, urgente difficultate aliqua.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXI.

An Famulus Catholicus Sacerdotis Schiſmatici Domini ſui Miſſæ deſerviens lethaliter delinquat?

488. RESP. Non peccare, ſi occultus ſit; bene verò ſi notorius.

489. Prima Pars patet. Nam licitum eſt, cogente neceſſitate communicare cum Hæretico, aut Schiſmatico in Sacris, ſi occultus ſit, ex Conſtan. Synod. Conſtit. *Ad evitandam*, in qua permittitur communicatio etiam in Sacris, cum excommunicatis, niſi ſint nominatim denunciati, aut inciderint in crimen notorium, habens excommunicationem annexam: Sacerdos autem ille, de quo loquimur, eſt quidem Schiſmaticus, at occultus, & proinde nec denunciatus, nec notoriè reus alicujus criminis annexam habentis excommunicationem; etiamſi privata ſcientia Famulo conſtet de oppoſito; ergo deſerviens Miſſæ ejuſdem Famulus minimè delinquit, cum æxternè Sacerdos ille Catholicus appareat.

490. Secunda quoque Pars conſtat. Nam Eccleſia, ſicuti præcipit non communicari cum iis, quos ipſa ut Schiſmaticos, & Hæreticos nominatim repellit, de Verb. ſignif. Cap. *Super quibuſdam*; ita etiam vetat communicari in Sacris cum iis, qui notoriè ſunt tales, cum idem in Jure videatur, declarari talem per Sententiam, & apparere notoriè talem, cui Sententia debetur Cenſuræ Eccleſiaſticæ: at Sacerdos ille, de quo loquimur, publicè Schiſmaticus, aut Hæreticus eſt; ergo publicè in Sacris vitandus; ergo Famulus ejuſdem Miſſæ deſer-

viens lethaliter delinquit. Quo pacto intelligendi ſunt Canones communionem in Sacris cum Hæreticis, & Schiſmaticis ſeverè interdicentes.

491. Quæres I. An liceat Miſſionariis Apoſtolicis Sacra facturis, pueris Schiſmaticorum uti ad famulatum?

492. Reſp. Regulariter loquendo licere. Nam hujuſmodi pueri non videntur Hæretici, aut Schiſmatici, niſi materialiter, nec ea firmitate judicii pollent, ut veritatem Orthodoxam ab Hæreſi tam citò diſcernant; niſi fortaſſe in iis, ut in nonnullis contingit, malitia ætatem præveniat.

493. Rogabis II. An liceat pro famulatu Altaris, ſaltem neceſſitate cogente, Cathecumenos admittere?

494. Reſp. Juxta rigorem Canonum præſertim antiquorum, ſicuti ad pſallendum minimè admittebantur, ex Bracar. I. cap. 35. ita nec ad Miſſæ famulatum poſſe admitti, cum adhuc de gremio Eccleſiæ nequaquam ſint. Quia tamen rigor ille deferbuit, non videtur mihi abſurdum adeo magnum, ſi copia deſit aliorum aptorum miniſtrorum, devotum aliquem, & peritum Cathecumenum adhibere, eum quippe ad majorem Miſterii venerationem impelleret, neque indecentiam ullam erga Sacramentum induceret, cum remotè tantummodò Altari deſerviret.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXII.

An Catholicus teneatur Epiſcopo Schiſmatico in ejuſdem Diœceſi, in qua reperitur, Decimas perſolvere?

495. Reſp. breviter. Non poſſe Decimas denegari Epiſcopo Schiſmatico occulto, benè verò notorio.

496. Prima Pars patet. Nemo privari debet iis, quæ ipſi competunt ratione Dignitatis, ac muneris, quo fungitur, niſi conſtet, eum Dignitate, graduque deſtitui: fieret enim ipſi injuria, & abſque ratione infamaretur: at proventus debentur ipſi ratione Dignitatis, & muneris, ac gradus Paſtoralis, quo inſignitur: Hæreſi autem, aut Schiſmate manente occulto, prout à notorio diſtinguitur, non conſtat eum eſſe privatum Dignitate, vel per ſententiam, vel facti notorietatem; ergo quouſque Hæreſis, aut Schiſma publicè non innoteſcunt, quemadmodum jus habet redditus ſibi competentes exigendi, ita tenentur ſubditi illos perſolvere, quos ſcientia privata Hæreſis, aut Schiſmatis in Prælato minimè abſolvit: manet quippe adhuc titulus, & poſſeſſio.

497. Secunda quoque Pars liquet. Nam Epiſcopo, ſicuti etiam Parocho Schiſmatico non debentur proventus ex Beneficio prodeuntes; ergo non peccat, qui eos tribuere recuſat. Conſeq. patet. Prob. ant. Non quidem ob Dignitatem adeptam: nam à die ipſo, in quo in Hæreſim, aut Schiſma inciderunt, Beneficia omnia amiſerunt, & à Dignitatibus exciderunt, ex Paulo V. Conſtit. 19. *Cum ex Apoſtolatus*, ac ita fuit ab Inquiſit. Rom. 18. Ju-

lii

ſii 1656., & à S. Pio V. alio Decreto 29. Septembris 1558. declaratum apud Bordon. Tribunal. S. Inquiſit. cap. 12. n. 77. Nec refert, non eſſe latam adverſus eos depoſitionis ſententiam: nam notorietas Hæreſis, & Schiſmatis æquivalet ſententiæ Judicis, cum per ipſam publicè coram omnibus de delicto conſtet, depoſitionis pœna mulctato.

498. Ideo autem Schiſmatici Orientales Beneficia retinent, quia non coguntur illa reſignare: Eccleſia enim hujuſmodi humanitate eos ad ſinum ſuum revertendi allicere intendit; nemo autem tenetur pœnam à Lege taxatam per ſeipſum exequi: cæterum ulteriori minimè opus eſt declaratione, jubente Apoſtolo ad Tit. 3. 10. *Hæreticum hominem .... devita .... cum ſit proprio judicio condemnatus*; ergo, quoniam ipſo jure Orientales Sectarii ob Hæreſim, & Schiſma notorium Dignitatibus ſunt nudati, jure quoque proventus exigendi carent.

499. Neque etiam hoc jus ratione Eccleſiaſtici miniſterii iiſdem debetur: nam ob Hæreſim, & Schiſma notorium miniſtrare Sacramenta penitus prohibentur, niſi ſumma cogente neceſſitate, cum juriſdictione omnî deſtituantur, ipſique ſola Ordinis remaneat Poteſtas, & propterea communicationem cum ipſis, uti tales ſunt, Sacri Canones ſeverè interdicunt 24. Quæſt. 1. Cap. *Si quis dederit*. Cap. *ſuperveniente*; ergo munera Paſtoralia exercere prohibiti, quoniam in ipſis munus Paſtorale ceſſat, & labor ob illum impenſus, ceſſat quoque petendi emolumenta jus; adeoque non peccant, illa denegantes.

500. Quod verò objicitur, Hæreticos, & Schiſmaticos adhuc eſſe Epiſcopos, aut Parochos;

chos; adeoque ipſis provéntus deberi ob Dignitatem adhuc manentem: falſiſſimum eſt aſſumptum, ſi de notoriis loquamur; cum enim ab Eccleſia publicè, & notoriè deſciverint, ſicuti eſſe membra, ita quoque Paſtores eſſe deſierunt; adeoque notorium eſt quoque proventus ipſis non deberi. Canones autem ſpoliando Hæreticos Dignitatibus, loquuntur de illis, de quibus Hæreſis adhuc juridicè non conſtabat, qui propterea ſpoliati declarati ſunt, quia fuere convicti: non de illis, de quibus erat Hæreſis, aut Schiſma notorium; pro his enim non opus erat declarare, cum apertiſſimè conſtet, Hoſtem, Rebellem, atque Extorrem, ſicuti non eſt Reipublicæ amplius pars, ita nec Paſtorem eſſe poſſe; vel ſi notorios quoque Hæreticos anathemate, ac ſpoliatione afficiebant, hoc faciebant, non quia tales ex ſe non eſſent, ſed etiam quia ex parte Eccleſiæ pœnis illis plectere cenſuerunt in Hæreſis, & Schiſmatis deteſtationem.

501. Aliud, quod opponi poteſt, nempe excommunicatos extra Eccleſiam pelli, nec tamen Beneficiis, aut proventibus ipſa conſequentibus ſpoliari, ex Bonac. de Excom. Diſp. 2. Quæſt. 2. Punc. 5. §. 2. Propoſ. 2. plures alios congerente; ergo neque Hæretici, aut Schiſmatici ipſis nudantur; adeoque &c. Nequaquam evincit: admiſſo quippe antecedente, quod à pleriſque in controverſiam vocatur, neg. conſeq. Hæreſis enim, & Schiſma notorium, notoriè ab Eccleſia dividit; adeoque notoriam ineptitudinem ad Paſtoratum inducit, cum lumine ipſo Naturæ notum ſit, membrum omnino à corpore ſeparatum caput non eſſe corporis, à quo dividitur; adeòque ſicuti à membro notoriè diviſo munus capitis exerceri non poteſt,

teſt, ita neque proventus excipi, qui à munere membri conjuncti ſolummodo percipiuntur.

502. Quæres, An Miſſionarius Apoſtolicus Sacramenta Catholico illi miniſtrare debeat, qui ab Epiſcopo Schiſmatico publicè per edictum ob cauſam ſuperiùs allatam fuit excommunicatus?

503. Reſp. Sententiam Epiſcopi notoriè Schiſmatici nedum injuſtam, ſed invalidam eſſe ob defectum juriſdictionis, qua notoriè conſtat, Epiſcopum Schiſmaticum carere: hinc Sedes Apoſtolica in Locis, ubi Catholici degunt, & Schiſmatici notoriè ſchiſma profitentur, Epiſcopum Catholicum eligit, & ſuſtentat, ut neceſſitatibus Catholicorum ibi morantium provideat; & proinde non teneri Miſſionarium Catholico illi Sacramenta denegare: imò teneri ea tradere, ne videatur cum Epiſcopo notoriè Schiſmatico in Schiſmate communicare. Si verò de Schiſmate Epiſcopi publicè non conſtet, teneri tunc Miſſionarium Catholico illi Sacramenta denegare. Quamvis enim Epiſcopus ſit in ſe Schiſmaticus, hoc tamen minimè conſtat ſivè per ſententiam, ſive per facti notorietatem; & proinde cum ejuſdem actus ſuſtineantur ut validi, quouſque invaliditas pateat, ſicuti eidem imperanti obtemperandum, uti vero Præſuli; ita quoque ejuſdem cenſura ſuſtinenda; in dubio enim ſemper præſumptio pro Superiore militat, & propterea, qui dubitat de validitate cenſuræ, ſe pro excommunicato gerere debet, Cap. *Cum deſideres*, de Senten. Excom.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXIII.

An Catholicus in Locis Hæreticorum, aut Infidelium poſſit ad valetudinem reſtituendam Medicos Hæreticos, aut Infideles vocare?

504. Reſp. Quoties haberi poſſit copia Medici Catholici magis, vel æqualiter periti, non licere Medicum Ethnicum, aut Hæreticum vocare: licere autem ſi deſit. Ita Bordon. Tribunal. Inquiſit. Cap. 24. Quæſt. 5. Caren. Part. 2. Tit. 17. §. 5. Sanchez Lib. 2. Oper. Moral. Cap. 31.

505. Prima Pars conſtat ex Cap. *Nullus*, 28. Quæſt. 1. ex Synod. Trull. Can. 11. & Gregor. XIII. Conſtit. *Alias piæ memoriæ*, ubi in terminis cavetur, ne Medicus Judæus à Chriſtifidelibus vocetur: & à Synod. Laodic. cap. 37. Chartag. IV. cap. 70. Toloſ. cap. 13. omne etiam in politicis vetatur cum Hæreticis commercium, niſi neceſſitate cogente: at in caſu propoſito nulla cogit neceſſitas; ergo illicitum eſt in eo caſu accerſere Medicum Infidelem, aut Hæreticum.

506. Et adeſt ratio. Nam vocare Medicum Infidelem, aut Hæreticum, quoties æquali, vel majori commodo ſuppetit Catholicus, ingerit ſuſpicionem haud levem conventionis in Hæreſi, aut Infidelitate, uti facit quoque nimia cum Infidelibus, aut Hæreticis familiaritas, ex Farinac. Quæſt. 182. Decian. Lib. 5. crimin. Cap. 41. Direct. Inquiſit. Part. 56. hinc Clem. VIII. Conſtit. 42. *Cum ſicut*, adeo rigidè Italis inhibuit ad Infideles, & Hæreticos pergere domicilium fixuris, niſi nonnullis poſitis conditionibus; ergò illicitum eſt uti Medico Infi-

Infideli, aut Hæretico, cum ſuppetat Catholicus æquè peritus.

507. Secunda Pars ex cit. Bul. Clem. VIII. reſultat, ita loquente: *Medicorum quoque Hæreticorum opera, neceſſitate ceſſante, & ubi adſint Catholici Medici idonei non utantur*; ergo cum exceptio regulam firmet in contrarium. Si cogat neceſſitas, permittitur fieri; cogit autem quoties non ſuppetit Catholicus æquè idoneus; ergo in tali caſu licitum eſt.

508. Quod opponitur adverſus primam Partem, nulla Lege vetari, Medicum Ethnicum, aut Hæreticum advocare, eliditur facilè dicendo, prohiberi Lege Eccleſiaſ., ut in corp. Quæſt. dictum eſt; imò naturali, & Divina, ſi adſit ſcandalum, & periculum ſubverſionis.

509. Quæres I. An, ſi tempore Jejunii urgeat neceſſitas illud violandi, atteſtatio neceſſitatis à Medico Ethnico, aut Hæretico ſit petenda, atque admittenda?

510. Reſp. Hujuſmodi atteſtationem eſſe ſuſpectam, cum etiam de Medicis Catholicis Canones metuant, eos nimium humanitati indulgere, ut patet ex Later. IV. Cap. 22. Dico ergo, aut neceſſitas Jejunium frangendi eſt evidens, aut dubia: ſi evidens; nulla opus Medici Ethnici, aut Hæretici conſultatione: ſi dubia; ſatiùs cenſerem à Paſtore diſpenſationem præberi, quam Medicum Ethnicum, aut Hæreticum conſuli, qui profectò & ſanguini indulgebit: etſi enim neceſſitas fortaſſe non exigat diſpenſationem, dubio tamen manente, peccatum cavetur, quod non cavetur Medicis inhærendo.

511. Quæres II. An liceat Chriſtifidelibus vocare Nutrices Infideles, aut Hæreticas, quoties Catholicæ præſto eſſent?

512. Reſp. Negativè. Nam pueri graviſſimo periculo exponuntur Hæreſes, aut infidelitatem hauriendi, cum Nutrices iſtæ Inſtillare pueris poſſunt cum lacte ſuos errores, & quidem eo peſtilentiùs, quo firmiores, dum fuerint accepti, figunt radices ab infantia ipſa in corde confixas: Parentes verò tradentes hujuſmodi Nutricibus pueros, magnam Hæreſis, aut Infidelitatis præſumptionem miniſtrant.

513. Quæres III. An liceat Chriſtifidelibus pueros Infidelium, aut Hæreticorum nutriendos aſſumere?

514. Reſp. Quantum ad pueros Judæorum certum eſt, minimè licere, cum id ſeveriſſimè Nutricibus, aut Obſtetricibus Chriſtianis à Lateran. III. in Appen. tit. de Judæis cap. 2., & ab Innoc. IV. Conſtit. 2. *Impia*, vetetur: Quantum verò ad cæteros Infidelium pueros, cenſeo, dummodo aliud abſque incommodo fieri nequeat, aut ullum, vel minimum perverſionis periculum immineat, poſſe permitti Mulieribus Catholicis deſervire ſive apud ſe, ſive in Domibus ipſis Infidelium, aut Hæreticorum, Nutricum, aut Obſtetricum munere fungentes. Firmæ quippe in Orthodoxa multum ipſos pueros, imò ipſoſmet Parentes juvare poſſunt exemplo, atque Doctrina iis paulatim, atque ſuavi quadam ratione Dogmata Fidei Orthodoxæ, atque horrorem Ethnicæ ſuperſtitionis, aut Mahumeticæ turpitudinis inſtillando; quo pacto Infideles a Nutricibus pleramque ad Fidem converſos, memoriæ proditum eſt. Neque hoc pacto in Regionibus, ubi hæreſes impunè graſſantur à Clem. VIII., & Gregor. XV. vetitum in Bullis ſuis videtur.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXIV.

An Catholicus Juſpatronatum habens Epiſcopo Schiſmatico Schiſmaticum Sacerdotem poſſit præſentare?

515. Reſp. Negativè. Ita Pignatel. Tom. 7. Conſul. 55.

516. Prima Pars oſtenditur. Nam invalida eſt præſentatio ad Beneficium, quoties Præſentatus eſt incapax: at Schiſmaticus, aut Hæreticus eſt incapax Beneficii cujuſcumque Eccleſiaſtici, tum propter excommunicationem majorem, qua afficitur, de Hæret. Cap. *Excommunicamus*, & Bulla Cœnæ: Excommunicati autem ſunt Beneficiorum incapaces de Cleric. Excom. Cap. *Poſtulaſti*, Cap. *Propoſuit*. Tumquia Hæretici, ac Schiſmatici, qua tales à Beneficiis omninò excluduntur, Cap. 2. *Hæretici* de Hæret. in 6., & ex Innoc. IV. Conſtit. 18. *Noverit*; ergo eſt invalida hujuſmodi præſentatio.

517. Secunda quoque Pars liquet, nempè eſſe illicitam. Nam peccat Paſtor eligens indignum, vel minus dignum ad Beneficium, ut omnes Canones clamant: & propterea ait Trident. Seſs. 24. de Reform. cap. 1., alienis peccatis communicare, qui minùs idoneos ad Eccleſiaſtica munera elegerit: at Hæreticus, aut Schiſmaticus nedum eſt minùs dignus, ſed poſitivè indignus, cum ſit Eccleſiæ hoſtis, & perduellis; ergo ſicuti Epiſcopus eum approbans graviſſimè peccaret, ita quoque proponens ipſum, & præſentans graviſſimè delinqueret, etiamſi Beneficium nullam Animarum curam haberet.

518. Quæ objici poſſunt, nullius ſunt roboris,

ris. Quod enim Hæretici non ſint vitandi, niſi poſt juridicam ſententiam ab Eccleſia latam, ultra quod hoc eſt incertiſſimum, cum graviſſimi Doctores oppoſitum ſentiant: evincit quidem poſſe retinere Beneficia, quæ ante Hæreſim ſunt conſecuti, qua ſeipſos ſpoliare non debent, niſi juridicè condemnati; non tamen poſſe ipſa conſequi poſt Hæreſim, aut Schiſma, etſi de ipſo minimè denuntientur: in priori enim caſu jus quoddam habent, ſaltem inchoatum ex legitima electione exortum; poſt vero Schiſma, vel Hæreſim, nullo titulo etiam colorato illud aquirere potuerunt, aut poſſunt, Hæreſi ipſa, & Schiſmate, ultra Eccleſiæ Leges, repellente.

519. Nihil quoque urget, quod II. Poteſt opponi, nempe præjudicium grave, quod in Præſentantem redundaret, ſi Hæreticus non poſſet pro Beneficio offerri, cum nemo Legem purè Eccleſiaſticam tenetur ſervare cum gravi ſui detrimento: nam in primis, non poſſe promoveri ad Beneficia Hæreticum, aut Schiſmaticum, Lex ipſa naturalis optimè docet, hoſtem, & perduellem Eccleſiæ ab ejuſdem Dignitatibus, atque Beneficiis arceri. Deinde Præſentans Hæreticum, aut Schiſmaticum, & repulſam patiens non privatur jure præſentandi, ſed ille ſolummodo, qui præſentatur, ut ineptus repellitur, ſicut repelleretur aliis ineptitudinibus laborans, abſque ulla Præſentantis injuria, qui aptos, & idoneos offerre Epiſcopo deberet.

520. Quæres, An, ſi nullus alius ſuppeteret, præſentari potiùs Hæreticus, aut Schiſmaticus aliunde aptus deberet, vel Catholicus indoctus, & vitiis omnibus infectus?

521. Reſp. Aut neutrum, aut Catholicum potiùs eligi oportere. Nam Hæreticus, aut Schiſ-

Schiſmaticus, etſi aliundè aptiſſimus, nedum ineptus, ſed perniciofus eſt Eccleſiæ, quam doctrinâ falſâ, morumque externa probitate quamplurimum lædere poteſt, ut in pluribus Hæreticis doctis, & exemplaribus eadem deplorat, ac damna experta eſt. Miniſter verò improbus, ſed indoctus pravâ doctrinâ, quæ Fidem Orthodoxam inficiat, minimè nocere poteſt, ſed ſolummodò pravis exemplis; quæ jactura modis aliis reparabilis eſt; non verò amiſſio Fidei, quam alter doctus, ſed Hæreticus induceret.

QUÆSTIO XXXV.

An Miſſionarii nedum munus Apoſtolicum, verum etiam Parochialia in Miſſionibus exercere poſſint?

522. RESp. Regulares à Superioribus ſuis tantummodo miſſos, non poſſe, invitis Parochis, munere fungi Miſſionariorum: qui verò à Summo Pontifice, vel à Sac. Congr. mittuntur, poſſe quidem munere Miſſionis peragere, non tamen Parochialia exercere, niſi Parochis deficientibus, vel in Literis facultativis exprimatur.

523. Prima Pars eſt perſpicua. Nam Regulares miſſi tantummodo à ſuis Superioribus, licet Summo Pontifice permittente, illam habent authoritatem in Parochiis Miſſionum, qua gaudent extra Miſſiones: at extra ipſas nequeunt in Parochiis authoritate ſibi præcisè à Superioribus tributa fungi munere Miſſionis invitis Parochis, habendo Conciones, quod propriè Miſſionariorum eſt, Clemen. de Sepul. Cap. *Dudum*, extra de Sepul. Capit. *Super Cathedram*;

dram; ergo illicitum quoque in Miſſionibus eſt, niſi ab Epiſcopo Loci, aut Vicario Apoſtolico mitterentur, cui Parochi injuſtè refragarentur.

524. Secunda Pars liquet: nam Miſſionarii à Summo Pontifice, vel Sac. Congregatione immediatè miſſi ſuprema delegata potiuntur authoritate à nemine inferiore etiam Epiſcopali impedibili; ergo etiam invitis Parochis poſſunt munus Miſſionum exercere: delegatus enim Principis Supremi à nullo inferiore Magiſtratu impediri poteſt.

525. Tertia Pars conſtat: nam de Reg. Jur. in 6. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſet quis veriſimiliter conceſſurus*. Summus autem Pontifex, aut Sac. Congregatio, ſi rogaretur, Miſſionariis minimè concederet fungi munere Parochorum, ſi adſint, iis rationabiliter invitis, quandoquidem fieret ipſis injuria, juriſdictionem eorum citra juſtam cauſam turbando; ergo niſi in Literis Miſſionis exprimatur, non licet Miſſionariis Parochialia exercere.

426. Dixi autem, niſi Parochis deficientibus, vel niſi in Literis Miſſionis id exprimatur. Nam in primo caſu nulla fit Parochis injuria, & habetur conceſſio San. Pii V. Conſtit. 34 *Exponi*, Regularibus permittentis fungi apud Indos munere Parochorum: hoc enim ad Miſſionarios Apoſtolicos pertinet ſupplere id, quod ab aliis Miniſtris Evangelicis omittitur. In ſecundo autem caſu, ſicuti Poteſtas Apoſtolica Superior eſt authoritate Parochorum, ita, jubente Summo Pontifice ob gravem aliquam neceſſitatem, citra eorum injuriam poſſunt optimè ipſorum munere fungi. Imò propterea à Summo Pontifice mittuntur, ut defectibus Parocho-

rochorum, ſi adſint, ſuppleant, vel ſi non adſint, ipſorum onera ſuſtineant.

QUÆSTIO XXXVI.

An validè ab Epiſcopo Græco Orthodoxo Latini circa Jejunium, aut alias Eccleſiæ Leges diſpenſari queant, neceſſitate poſtulante?

527. RESP. Arffimativè. Ducor. Quia Latini illi Græco Epiſcopo ſubduntur, & intra fines ejuſdem juriſdictionis continentur non minus, quam Græci, uti nunc ſupponimus: at ob eamdem ſubjectionem poteſt Epiſcopus Græcus cum ſubditis Græcis diſpenſare in Legibus Eccleſiæ Græcæ; ergo poteſt quoque cum Latinis diſpenſare in Legibus Eccleſiæ Latinæ: diverſitas enim Ritus non tollit Epiſcopo authoritatem ſuper ſubditos ſuos, ſivè Græcos, ſivè Latinos.

QUÆSTIO XXXVII.

An Miſſionarii licitè Chirurgiam, & Medicinam exerceant; morteque Infirmi ſecuta fiant irregulares?

528. RESP. Affirmativè quoad primam Partem, & negativè quoad ſecundam, niſi negligentia præceſſerit.

529. Prima Pars patet. Quia licet exercitium Medicinæ, & Chirurgiæ Clericis in ſacro Ordine conſtitutis, & Monachis, ſeu Regularibus ſit vetita, præcipuè quando uſtio, aut inciſio interveniunt, Cap. *Tua Nos*, & Cap. *Sententiam*, de Homicid. attamen gravi urgente neceſſitate, poſitaque ſuperioris diſpenſatio-

ſatione, non eſt illicitum, uti Sacra Congregatio declaravit in una Chir. *Irregularitatis* 9. Feb. 1669., & in Congregatione peculiari pro Miſſionariis Æthiopiæ 28. Novembris ejuſdem anni 1669. apud Pignatel. Tom. 4. conſul. 124. neceſſitas enim in Lege poſitiva Eccleſiaſtica facit licitum, quod ex ſe tale non erat, de Confec. Diſt. 5., Cap. *Diſcipulos*, & tenet Henriquez, Molina, Sayrus, alique apud Bonac. de Irregul. Diſp. 7. Quæſt. 4. Punc. 7. Propoſ. 2. Miſſionarii autem Apoſtolici morali neceſſitate premuntur, vel quia non adſunt apud Infideles Medici, aut Chirurgi aptiores, vel quia Infideles, imò Hæretici ipſi Miſſionariis magis fidunt, veluti hominibus probitate, atque charitate præſtantibus; vel quia, niſi artem aliquam exercerent, inter Infideles, & Hæreticos tranſigere nequaquam poſſent. Hinc Sac. Cong. vult ab iis artem, aut facultatem aliquam addiſci, priuſquam Miſſiones adeant, ut faciliùs viam ſibi ſternere poſſint ad eos accedendi, atque inter ipſos victitandi; ergo licite Chirurgiam, & Medicinam inter Infideles, & Hæreticos exercent.

530. Secunda quoque Pars liquet. Nam dans operam rei licitæ non incurrit Irregularitatem, etiamſi aduſtione, aut inciſione membrum aliquod abſtulerit, dummodo debitam diligentiam adhibuerit, Cap. *Dilectus*, Cap. *Significaſti* de Homic. & cum Laym. Lib. 3. Trac. 3. Part. 3. Cap. 10. num. 4. tenet Anacl. noſt. Trac. 13. de Cenſur., & Irregul. Diſt. 2. Quæſt. 4. num. 55., & cum aliis conſentit Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 13. Quæſt. 5. art. 4. n. 157. at Miſſionarii, ſtante neceſſitate, & indulto Sac. Cong., incidendo, aut adurendo membra Infirmorum dant operam rei licitæ, nempe

actui Charitatis, aut actis, quo victus neceſſarius comparatur in medio Nationis pravæ; ergo diligentiam neceſſariam, & conſuetam, adhibentes in membris incidendis, etiamſi mors ſequatur ægroti, adhuc Irregularitatem nequaquam incurrunt.

531. Dixi autem, niſi notabilis negligentia in medendo habeatur. Tunc enim, ſicuti aliquo pacto ſaltem remotè in mutilationem, influxum aliquem culpabilem haberent, ita mirum non eſt, incurrere Irregularitatem, uti præfati Doctores advertunt.

532. Quod opponi poteſt ex Sac. Canonibus, & Sac. Cong. inhibente Miſſionariis aduſtionem, & inciſionem, etſi non prohibeat Medicinam, & Chirurgiam exercere, ſolvitur; eoquia Canones loquuntur de Clericis, artem hujuſmodi abſque ulla neceſſitate, vel Superiorum facultate exercentibus: hinc Cap. *Tua Nos*, de Homicid. Irregularitate percellitur Monachus ille, qui cum guttur aperuiſſet cujuſdam ægroti, ille verò præ nimio dolore objiſſet, etſi omnem adhibuiſſet diligentiam, adhuc Irregularitatem incurriſſe declaratus fuit, eoquia, nec ulla cogebat neceſſitas medendi, nec à Sede Apoſtolica diſpenſationem obtinuerat: at Miſſionarii ſumma coguntur neceſſitate, & facultate Apoſtolica ſunt prædìti. Quamvis autem Sac. Cong. aduſtionem, & inciſionem inhibuerit, hoc tamen fecit, regulariter loquendo, atque à circumſtantiis præſcindendo, & ſervato rigore Canonum, non verò quoties neceſſitas impulerit; alioquin parum, aut nihil conceſſiſſet, quod dicendum non eſt.

533. Quæres I. An Regulares, & Clerici Sæculares non Miſſionarii apud Ethnicos Chirurgiam, aut Medicinam exercentes cum inciſione,

ſione, & aduſtione Irregularitatem incurrant, morte minimè ſecuta?

534. Reſp. Peccare quidem, niſi cogat neceſſitas, non tamen Irregularitatem incurrere. Quia, ut ait Avila Part. 7. Diſp. 6. ſec. 1. Dub. 10. non quæcumque mutilatio Irregularitatem inducit, ſed ea ſolummodò, quæ ordinatur ad privationem membri cum defectu lenitatis: talis autem non eſt inciſio membri, ut alterum ſalvetur, aut vita ægroti maneat incolumis.

535. Quæres II. An Irregularitas incurratur ob mortem ſecutam ex remedio appoſito, vel ſi fiat cum inciſione, incurratur à ſocio incidentem adjuvante?

536. Reſp. adhibitâ debitâ diligentiâ, Miſſionarios non incurrere, eo pacto, quo non incurrunt cæteri Medici, quibus obitus Infirmorum nequaquam ad culpam imputatur. Quantum verò ad adjuvantes, quoniam Canones non afficiunt Irregularitate adjuvantes, ſed ſolummodo incidentes, dicendum eſt non incurrere: odia enim reſtringenda ſunt, non ampliauda, de Reg. Jur. in 6., & ita cenſent Navar. in Manual. Cap. 27., & Alii apud Bonac. loc. ſuper citato.

QUÆSTIO XXXVIII.

An Miſſionarius dum Miſſionem adit, Facultatibus eidem conceſſis poſſit etiam in itinere uti?

537. Reſp. Non poſſe. Ita deciſum habemus à Sanc. Inquiſit. Rom. 1670. quæ interrogata à Miſſionariis, hoc reſpondit: *Facultates currere à die, quo perveniunt ad*

Locum Miſſionis. Ratio eſſe poteſt. Nam de Reg. Jur. in 6. *In generali conceſſione non veniunt ea; quæ non eſſet quis veriſimiliter conceſſurus*: Summus autem Pontifex ſi rogaretur, ut pro omni loco, quo Miſſionarii tranſeunt, ampliſſimas, quas pro Miſſionibus largitur, conceſſiones tribueret, nequaquam profectò annueret, imò cum riſu exciperet, ſicut excipiuntur revera extra caſum Miſſionis; ergo Facultates illæ non valent in Locis, extra Miſſiones. Ideò enim ampliſſimæ ille Facultates tribuuntur pro Miſſionibus, quia ibi ob diſtantiam Locorum, ob quam Sedes Apoſtolica difficillimè conveniri poteſt, neceſſitas urget ſumma: at hæc non habetur in aliis Locis extra Miſsiones; ergo ceſſant quoque Privilegia ob eumdem finem conceſſa.

538. Nec juvat, Literas facultativas habere valorem a die, qua expediuntur Romæ, quando Miſſionarii diſcedunt: quamquam enim ab illa die vigorem habeant; non tamen pro illo die, ſed pro illo, quo ad Miſſionem perveniunt, ſicuti Literæ commiſſionales habent quidem vigorem à die, quo in Curia Principis expediuntur, ſed ſolummodò pro tempore, quo Commiſſarius Provinciam ingreſſus fuerit, ad munus ſuum exercendum, niſi aliud exprimatur: Favores quidem ampliandi ſunt: at juxta Negotii exigentiam, ne in contemptum nimia impetrationis facilitate deveniant.

539. Quæres, An Miſſionarius Facultatibus conſuetis munitus, poſſit illis uti in Miſſionibus non ſuis, dum ad ſuam pergit, neceſſitate gravi poſtulante?

540. Reſp. Probabiliter poſſe. Urget enim Favor non tam Miſſionarii, quam ipſiuſmet Miſſionis, & finis ipſe, ob quem à Summo Ponti-

tifi-

tifice Privilegia illa tam ampla donantur, ut nimirum Animæ Infidelium, & Hæreticorum Deo aquirantur; Miſſio autem, etſi non ſit eadem in individuo, eadem tamen eſt in ſpecie, & quoad mentem, & intentionem Eccleſiæ Privilegia largientis, niſi adſit motivum aliquod ſpeciale, uſum Privilegii loco aliquo Miſſionum coarctans.

CAPUT IV.

De Juſtitia.

541. QUoniam in materia Juſtitiæ Fideles inter Ethnicos degentes, vel inter ſe, vel cum ipſis Infidelibus agentes, difficultatibus haud levibus plerumque agitantur, & Miſſionarii eorum conſcientias directuri haud modicè anguntur: idcircò nonnullas hic difficultates proponam, ac dirimere, eorum conſulens ſpirituali utilitati, quantum Deus dederit, contendam.

QUÆSTIO I.

An liceat Fidelibus Bona Infidelium rapere, ad ſe trahere, vel alia ratione ſubripere?

542. RESp. I. Nullo titulo iis, qui ſub fide Regia Tuneti, Tripoli, vel aliis in locis Maurorum, aut Turcarum ditioni ſubjectis negotiantur, licere bona illorum ſubripere. Deciſum hoc habemus à Sac. Congreg. de Propag. Fide ad Quartum Patris Longobardi, his verbis: *Sacra Congregatio cenſuit, Chriſtianis*

liberis, qui ſub fide Regia in Africa negotiantur, nullius intuitu licere bona ſubripere.

543. Ratio autem eſt. Quia Chriſtifideles ex quo ſub fide Regia ibi negotiantur, pactum, & promiſſiones emiſerunt de fidelitate in negotiatione ſervanda; alioquin minimè ipſis mercari permitteretur: at Chriſtiani pacta, & promiſſiones licitas nedum Hæreticis, uti firmat Becan. Manual. lib. 5. cap. 1. verum etiam Infidelibus ſervare tenentur, ex jure ipſo naturali, ut optimè Subtil. Doct. 4. Diſt. 28. Quæſt. 1. §. *Ad Secundum*, & eſt communis apud Bonac. de Contrac. Diſp. 3. Quæſt. 2. Punc. 2.; ergo nihil ſubripere poſſunt Chriſtiani Mercatores apud Turcas, aut Mauros negotiationem agentes.

544. Accedit, Multa bona Infidelium juſtè fuiſſe labore, induſtria, vel alia ratione aquiſita; adeoque juſtè retenta; ergo injuſte bona Infidelium rapiuntur, cum ignoretur, an injuſte, vel juſtè fuerint accepta, ſaltem ſubitur periculum injuſtæ acceptionis.

545. Reſp. II. Non licere Chriſtianis bona Hebræorum in præfatis Locis exiſtentium, ſivè liberi ſint, ſivè captivi, ſubripere, ut eadem Sac. Congr. in præfato Decreto ſancivit: *Ab hoc tamen gravamine, & licentia declaravit immunes Judæos omnes ſivè Incolas, ſivè Indigenas, ſivè Liberos, ſive Captivos.*

546. Ratio eſt. Quia Infidelitas non eſt præciſum motivum amittendi dominium rerum ſuarum: alioquin Principes Ethnici Regna ſua legitimè poſſidentes injuſtè tenerent, atque adminiſtrarent, quod falſiſſimum eſt, ut ex Matth. 22. 21. patet, ubi Chriſtus jubet tributum dari Cæſari, & reipſa ipſe ſolvit, & Paulus ad Rom. 13. 7. Principibus, & Poteſtatibus, qui tempore ſuo Idola colebant, vult debitam, & ſub

& ſub pœna peccati obedientiam exhiberi; ergo Judæi quà præcisè tales rerum ſuarum legitimo dominio minimè deſtituuntur; & proindè, ſicut cæteri Infideles Baptiſmum petentes bonis ſuis nequaquam privantur, extra *de Judæis* Cap. *Dignum*: idcircò autem Judæi priuſquam Baptiſmate initientur, bona reſtituere compelluntur, ex Conſtitut. 32. Pauli III. *Cupientes*, non quia per Baptiſmum illis priventur, ſed quia uſuris illegitimè ſupponuntur aquiſita.

547. Reſp. III. Captivos Chriſtianos poſſe in compenſationem injuſtæ ſervitutis, ac mercedem laborum, quos ſuſtinent, & ad congruum victum ſubripere bona Infidelium, ſub quorum degunt captivitate. Ita decidit Sacra Congregatio præfata ad Quartum Patris Longobardi.

548. Ratio eſt. Quia omnis injuria, ac damnum illatum, & labor pretio æſtimabilis congruam exigunt compenſationem, de injur. & dam. dat. Cap. Final. 1. Quæſt. 2. Cap. *Sacerdos*, & 12. Quæſt. 2. Cap. *Charitatem*: fundatur enim in æqualitate Juſtitiæ præſcribentis, tantum refundi debere compenſationis, quantum laboris impenſum, quantum damni illatum eſt: Captivi autem ob injuſtam ſervitutem, qua detinentur, injuriam graviſſimam ſuſtinent, multis quoque laboribus gravantur pretio æſtimabilibus, quod tamen minimè conſequuntur: Damna quoque emergentia, ac lucra ceſſantia ſubire coguntur digna compenſatione; ergo titulo mercedis poſſunt aliquid ſubripere, nulla quippe ſpes eis effulget alio pacto damnum, quod patiuntur, refundere. Neque hæ ſubreptiones furta dici poſſunt, ſed congruæ compenſationes, ut optimè Lugo Tom. 1. de Juſt. & Jur. Diſp. 16. Sec. 5. cum mercedem ne-

que ab Heris, neque Judicis officio implorato, valeant obtinere.

549. Contra primam Partem videtur poſſe opponi: Bona Turcarum, & Maurorum injuſtè ab iis occupari, ac proinde à Chriſtianis, quibus erepta ſunt, poſſe fraude, aut alia ratione tolli, Principeſque Chriſtianos Dominos principales ſupponi debere conſentientes.

550. At facilè reſpondetur: ant. eſſe verum de Bonis publicis, non tamen de privatis, cum ſtare optimè poſſit, Regnum injuſtè à Principe occupari, & tamen plures res à Privatis juſtè poſſideri, atque dominium plurium aquiri; adeoque injuſtè à Chriſtianis ſubripi. Principes verò Chriſtianos inveriſimile cenſetur conſenſum fraudibus, aut ſubreptionibus Mercatorum præbere, quoniam pactum, & promiſſionem habuerunt cum Principe Infideli de Fide integrè ſervanda, ſine qua Mercatoribus acceſſus minimè permitteretur.

551. Quantum ad Judæos, opponitur eſſe infenſos Chriſtifidelium inimicos, adeoque poſſe eis, quidquid licebit, ſubripi, ſicuti ipſi faciunt Chriſtianis.

552. At neg. conſeq. Poſſunt quidem Chriſtiani ab eis ſolicitè cavere, ne fallantur, aut damno afficiantur; non tamen titulo inimicitiæ poſſunt eis quidquam aut fraudare, aut alia ratione injuſtè auferre.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An Chriſtiani Captivi Præfectis deſervientes, poſſint eos fraudibus decipere, & aliquid pro laboribus extorquere?

553. Reſp. Affirmativè, ex Decreto Sanc. Inquiſit. Roman. ad Quartum Patris Longobardi, his verbis: *Non licet Fidelibus Captivis in miniſterium Cauponæ adſcitis ab Infidelibus aliquid ſuffurari: licitum tamen eſt præcipuis Dominis Cauponæ tantum ſubripere, quantum arbitrio boni Viri ſufficit ad æquam mercedem debitam labori ſuo.*

554. Oſtenditur idipſum Ratione. Nam labor impenſus à Captivis in Caupona eſt omninò indebitus, cum Captivi ali deberent, etiamſi minimè laborarent; ergo meretur congruam mercedem pretio æſtimabilem; hanc autem obtinere nequeunt Captivi ſponte, aut alia ratione tributam; ergo illam in æquivalenti ſubripere poſſunt; tollunt enim, quod ſibi debetur per juſtam compenſationem, uti reſolvit Bonac. de Contrac. Diſp. 3. Quæſt. 6. Punc. 4. Propoſ. 1.

555. Idcircò autem dixit Sac. Congr. aliis Infidelibus non quidquam ſubripi, quia nullus datur titulus, quo poſſint ſubripere: cum ſub eorum immediata ſervitute nequaquam degant.

556. Nec objici poteſt, non dari titulum, quo fiat licita huiuſmodi ſubreptio, eo quia labor victu compenſatur, & habetur pro beneficio, cum alios labores longè majores deberent ſuſtinere: nam victus debetur Captivis, etiamſi minimè laborarent; ergo labor ille diſtinctam mercedem requirit. Quod verò habea-

tur pro beneficio in Caupona laborare, alioquin vinearum ærumnis ſubjiciendi, non tollit quin præmium diſtinctum mereantur; aliter famuli qui rogant Dominos, ut ad ſervitium aſſumantur, nullam mercedem mererentur, quod aperte falſum eſt, etſi minor eis poſſit præberi, ex Leſſio Lib. 2. de Juſt. & Jur. Cap. 24. Dub. 4. Soto Lib. 5. Quæſt. 3. art. 3., etſi Alii oppoſitum ſentiant apud Bonac. loco citato.

QUÆSTIO III.

An Christiani Præfecti Captivorum poſſint in diſtributione laborum, & præmiorum alios aliis præferre, negligenteſque apud Dominos Infideles accuſare?

557. RESP. Non poſſe Præfectos Captivorum alios aliis in laboribus, & præmiis præferre, poſſe tamen negligentes apud Dominos Infideles accuſare.

558. Utrumque habemus deciſum à Sac. Inquiſit. Rom. ad Quartum Patris Longobardi anno 1630. his verbis: *Patres deputati cenſuerunt omninò ſervandam eſſe Juſtitiam diſtributivam, & ex ejus violatione quæ culpa ſequatur, lethalis ne, an venialis, digniſcendum eſſe ex gravitate, vel levitate materiæ,* ſubditur exinde: *Item eſſe licitam accuſationem erga negligentes, non pro Lege aliqua inobedientiæ, quæ veris Dominis deleatur, ſed pro evitando præjudicio diligentium Captivorum exinde exurgente, & pro redimenda vexatione propria, vel aliena.*

559. Ratio primæ Partis eſt. Quia circa laborem, veſtes, & victum diſtribuendum, nullum Præfecti habent titulum, ut unum alteri

præ-

præferant; ergo præferendo peccant contra Juſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem, retinent quippe mercedem laboris, quæ ipſis debetur titulo juſtæ compenſationis.

560. Ratio ſecundæ Partis eſt. Quia Præfecti Captivorum tenentur ex jure naturali ſervare indemnitatem quorumcumque ſuæ curæ ſubjectorum: non ſervarent autem, eoquia nisi negligentes accuſarent, diligentes cogerentur ſupplere labores negligentium, ne verberibus, & contumeliis omnes afficiantur: hoc autem injuſtum eſt, cum nulla ſit ratio, cur unus Captivus oneribus alterius ſuccumbat; ergo Præfectus eſt reus gravis peccati negligentes non accuſando, cum Captivi diligentes duplici labore gravarentur, & omnes in grave diſcrimen vocarentur; malo autem communi, & majori occurrendum eſt, quoties utrumque vitari non poſſit. Cap. *Duo ſunt*, Diſt. 13.

561. Quod objici poteſt, Captivos non teneri laborare; ergo eximendo eos à labore nulla committitur injuſtitia: neg. conſeq. Poſſunt quidem omne eximere, ſi Turcæ permitterent: at quoniam non permittunt, injuſtitia manifeſta eſt, unum eximere, alterum vero relinquere, cui totus, & integer labor incumberet.

562. Idipſum de veſtibus, & cibis dicendum eſt, quamvis enim non teneantur cibum, veſtem meliorem omnibus exhibere, ſi deſit, tenentur tamen præbere æqualiter omnibus quidquid à Dominis taxatur: & cibum meliorem, & veſtem magis benemerentibus, quam benevolis exhibere, quandoquidem jus æquale omnes habent; & jus fortiùs magis benemerentes reſpicit, quam minùs merentes.

563. Adverſus ſecundam Partem opponi

poteſt, Captivos etſi negligentes non teneri ad laborem; ergo peccant Præfecti eos accuſando verberibus injuſtis plectendos: cooperantur enim injuſtæ percuſſioni Chriſtifidelium.

564. At reſp. neg. conſeq. Non enim cooperatur per ſe verberibus Captivo illatis, quæ adhuc inferrentur, & quidem graviora, ſed ſolummodò propriæ indemnitati conſulitur, quæ profectò, niſi Captivi negligentes accuſarentur, in gravi periculo verſaretur, abſque ullo prorſus ex eorum ſilentio erga Captivos emolumento redundante.

QUÆSTIO IV.

An Chriſtiani in Imperio Turcarum, & Maurorum degentes eorum Leges obſervare teneantur?

565. Reſp. Chriſtianos nondum à Turcis domitos nullo pacto ad obſervantiam Legum eorumdem teneri: perfectè autem ſubjectos teneri ad Leges bonum publicum, & communem eorum utilitatem reſpicientes, nec Juri Divino, Naturali, aut Eccleſiaſtico repugnantes.

566. Prima Pars, quam tenent Lugo de Juſt. & Jur. Diſp. 36. Sec. 1. n. 16. Sanchez lib. 2. Oper. Moral. cap 4. Dub. 5.; oſtenditur. Quia nullus titulus datur hujuſmodi obligationis. Non quidem naturalis, & hæreditaria dominatio: Turcæ enim, & Saraceni nullum in Regna, quibus præſunt, jus habent, aut habuerunt, utpote violenter, & injuſtiſſimè rapta, non per legitimam præſcriptionem poſſeſſa: Principes enim Chriſtiani ſemper injuſtæ invaſioni reſtiterunt, & nunc quoque reclamant.

Hinc

Hinc jubentur Chriſtiani Saracenos perſequi 26. Quæſt. 8. Cap. *Diſpar*, & illi, qui eiſdem arma, ligna, naves, & alia hujuſmodi miniſtrant, Cenſuris graviſſimis ſubjacent in Bul. Cœn., & extra de Sarac. Cap. *Captivos*, fulminatis: Populi verò, de quibus loquimur, hujuſmodi dominationi acriter reluctantur; adeoque tollitur omnis præſumptio, conſenſus, & præſcriptio, quæ poſſet induci, quæ debet eſſe pacifica, non turbata, vel interrupta, Cap. *Auditis*, de Præſcrip., & tenent plures Doctores apud Barboſam in Reper. Jur. Can. & Civil. V. *Præſcribere*; ergo non tenentur Populi hujuſmodi Legibus Turcarum, aut Maurorum obtemperare.

567. Secunda Pars, quam docet in terminis Leſſius de Juſt. & Jur. lib. 2. cap. 29. dub. 9. evincitur ex hoc, quod Populi illi, qui perfectè Turcarum, aut Maurorum dominationi ſubduntur, cenſentur transferre in eos legitimam poteſtatem condendi Leges recto regimini conducentes; conſenſum verò præbere oſtendunt, dum ad Magiſtratum Turcarum recurrunt, eorum judiciis aquieſcunt, & hujuſmodi Leges, utpote rationi conſentaneæ, etiam à Principibus Chriſtianis ſimilibus utentibus cenſentur approbatæ; ergo tenentur eas ſervare.

568. Tertia quoque Pars patet. Nam Leges Juri naturali, Divino, & Eccleſiaſtico repugnantes, ſunt injuſtæ, cum publicam non reſpiciant utilitatem, quæ de ratione Legis eſt, ut optimè Doctor Subtil. 1. Diſt. 44. Quæſt. Unic.; ergo non obſtringunt ſubditos, quorum utilitati Princeps conſulere debet, qui propter Populum inſtitutus eſt, non Populus propter ipſum, ut optimè Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 2. Quæſt. 1. art. 2., nec præſumuntur Po-

puli

puli in Principem authoritatem hujuſmodi tranſtuliſſe in ſui detrimentum. Hinc Populi illi citra peccatum hujuſmodi Infidelium Leges violare poſſunt, dummodo tamen abſque mendaciis, perjuriis, ſcandalis, aliiſque incommodis fiat, quæ ex Legum contemptu oriri ſolent, ut optimè notat Lugo cit. n. 17.

QUÆSTIO V.

An Chriſtifideles teneantur Tributa Principibus Infidelibus ſolvere?

569. RESP. I. Tributa moderata, & juſta, impoſita ratione mercaturæ à Chriſtianis in conſcientia ſolvi debere.

570. Ducor. Quia Principes Infideles ſive Saraceni, ſive Othomanici impendunt operam ſuam vias publicas à latronibus tuendo, & omnia, quæ Principis ſunt, in ſuſtinenda negotiatione expendunt; ergo tenentur Mercatores Chriſtiani ſolvere Tributa ad finem hunc impoſita; niſi enim ſolverentur, poſſent illi Principes in Regnis ſuis negotiationem impedire, quam expenſis ſuis permittere non tenentur.

571. Ulterius: datur conventio inter Principes de permittenda mutua negotiatione more conſueto, & cum oneribus conſuetis; ergo illa Tributa ſolvi conſueta, revera ſolvenda ſunt, cum pacta, & promiſſa etiam Infidelibus ſunt ſervanda, Cap. *Innocens*, 22. Quæſt. 4. & firmat cum aliis Sanchez. Lib. 2. conſil. Moral. Cap. 4. Dub. 1.

572. Reſp. II. Chriſtianos Infidelium ſubditos teneri ſolvere Tributa Fidelibus, & Infidelibus communia.

573. Du-

573. Ducor autem. Quia ex quo eorum Imperio ſubduntur, quemadmodum communis regiminis ſentiunt utilitatem, ita quoque oneribus ipſis ſubjacere debent, quæ ſunt cum Infidelibus communia; ergo tenentur ſolvere Tributa Fidelibus, & Infidelibus communia, uti docent Leſſius de Juſt.& Jur. Lib.2. Cap.29.

574. Reſp. III. Chriſtianos non teneri ſolvere Tributa ipſis ſolummodò impoſita.

575. Patet. Illa enim Tributa nullo titulo ſunt debita. Non ratione legitimi dominii, cum ipſo Principes Saraceni, & Othomanici careant, qui violenter Regna rapuerunt. Non pro oneribus Reipublicæ ſuſtinendis: nam iſta Infidelibus, & Fidelibus debent eſſe communia. Non ratione conſenſus ipſorummet Chriſtianorum, Principumque eorumdem: hi enim, cum præcæteris magnopere graventur, non cenſentur conſentire, neque ipſorum Principes, ad quorum oppreſsionem pecunia ex Tributis redacta unicè ordinatur.

576. Quæres, An vectigalia juſtè ab Othomanico, vel Saraceno Principe impoſita fraudantes peccent, & ad reſtitutionem teneantur?

577. Reſp. Peccare ſecundum ſe, atque ad reſtitutionem teneri. Quia juſtè Princeps Infidelis, ut ſupponimus, Tributa exigit, uti juſtè à Principe Fideli exiguntur propter onera, quæ ſuſtinent, tuendæ, ac Reipublicæ conſervandæ, & ob miniſterium, quod ſubditis exhibet in Juſtitia miniſtranda, eorumque ſubſtantiis, & Perſonis à quavis injuria, violentiaque defendendis; ergo ſicut ſubditi Tributa moderata ſolvere tenentur, ita quoque peccant vectigalia fraudando, uti ſentit cum Aliis Lugo de Juſt. & Jur. Diſp. 36. ſec.4. Cæterum, cum Chriſtiani ab Infidelibus aſsiduis injuriis, dam-

damnis, & oppreſsionibus vexentur, quorum reparationem omnino deſperant, non videtur omninò improbabile poſſe jacturas ſuas vectigalia fraudando reparare, cum idipſum ab ipſis in Terris Chriſtianorum jugiter fiat, etſi ab ipſis nullum damnum patiantur.

QUÆSTIO VI.

An Chriſtiani Albanenſes Turcis contermini, poſſint adverſus eos ſævire incurſionibus, iiſque etiam Chriſtianos Catholicos, aut Schiſmaticos illis commixtos vexare?

578. Reſp. Quoad utramque Partem: poſſe. Quantum enim ad primam: adeſt legitima authoritas, juſtum motivum, & recta intentio, quæ requiritur ad Juſtitiam Belli, uti habemus Cap. *Quod culpatur*, 23. Queſt. 1. & Cap. *Dominus noſter*, Quæſt 2. Legitima quidem non deeſt authoritas. Cum enim nullum agnoſcant in temporalibus Superiorem, ſingulæ Communitates ſe habent ad modum Reipublicæ liberæ, nullum Supremum Ducem habentis: qui autem nullum Superiorem agnoſcunt, jus habent Belli indicendi, atque inferendi, ex Com. apud Bonac. de reſtir. in partic. Diſp. 2. Quæſt. ult. ſec. 1. Punc. ult. §. 2.

579. Adeſt quoque juſta cauſa I. Quia Turcæ Regnum ipſorum injuſtiſsimè poſsident, quorum oppreſsionem, ut evitent, aſperos montes coguntur inhabitare, omnibus fere vitæ commodis deſtituti. II. Turcarum cauſa, Sacerdotibus, & Paſtoribus, omnibuſque ad vitam civilem tranſigendam neceſſariis carent. III. A' Turcis extorſiones patiuntur, quibus pecuniam, pueros ipſos, & puellas tradere com.

compelluntur eorum uſui, ac libidini famulaturos, cum extremò periculo Fidei Orthodoxæ amittendæ. Hæc autem omnia, vel his ſimilia ad Juſtitiam Belli indicendi, ac tuendi ſufficere, tradunt Layman. Lib. 2. Trac. 3. Cap. 12., & Ponc. noſt. Cur. Theol. Diſp. 33. Quæſt. 3. Concl. 2.

580. Nec deeſt recta intentio. Non enim Bellum inſtituunt adverſus Infideles vanæ gloriæ cupiditate illecti, vel dominii ampliandi incenſi ambitione, ſed potiùs, ut ſeipſos tueantur, & ſua, & vivere poſsint, niſi commodè, ſaltem abſque injuriis.

581. Secunda quoque Pars videtur perſpicua. Nam Bellum juſtum dat jus omnia ponendi, quæ conducunt ad victoriam plenè obtinendam: occiſio autem Chriſtianorum Turcas adjuvantium ad victoriam capeſſendam ordinatur; ergo licitum eſt eos occidere, cum juxta Molin. Diſp. 122., & Ponc. noſt. Diſp. 33. Quæſt. 5. n. 17. liceat indirectè occidere etiam Innocentem, quoties ad plenam victoriam conducit obtinendam.

582. Bene tamen verum eſt, Innocentes, quales ſunt Pueri, Mulieres, & alii hujuſmodi, arma abjicientes occidi non poſſe; poſſunt tamen bonis ſuis omnibus privari, quia inimico deſerviunt, ut notat Bonac. loc. cit. §. 3. num. 17. Fideles tamen curare debent, ut minùs, quam fas ſit infœlicibus illis damni afferant, cum Chriſtiani ſint, & plerumque coacti Bellum adeant. Neque enim addenda eſt afflictio afflictis, Charitate Chriſti ita dictante, ut rectè monet Suarez Diſp. 13. de Charit. ſec. 7.

583. Quæ opponi poſſunt contra primam Partem, nempe, nullum Chriſtianos illos jus habere Turcas Bello vexandi, à quibus minimè

nimè moleſtantur, nec ſint Supremi Principes: hujuſmodi incurſiones à Principibus Chriſtianis minimè commendari: nec licere deprędari bona Chriſtianorum, qui Turcis ſubduntur, cum ipſi potiùs damna patiantur à Turcis, quam Chriſtianis inferant, Fratreſque in Chriſto ſint, non autem hoſtes:

584. Jam in corpore Quæſtionis præventa ſunt, dicendo, Chriſtianos illos jus habere in Regiones illas olim ſuas, nec ab ullo alio poſſeſſas, & ab omnibus derelictas, & juſtum motivum belli inferendi urgere. Principes Chriſtianos nec poſſe, nec de facto impedire hujuſmodi incurſiones, utpote à ſuis non ſubditis juſtè ſuſceptas. Populos Chriſtianos, utpote Turcis copulatos, & eorum Regni partes, non eſſe innocentes, ſed hoſtes, nec ſemper paſſivè ſe habere, ſed ſimul cum Turcis impetum facere, ac damna graviſſima inferre; igitur nullam ipſis injuriam fieri, ſi veluti hoſtes, vel hoſtium fautores, & cooperatores tractentur, etiam ſi coacti interdum id faciant.

585. Verum tamen eſt, peccare homines privatos hujuſmodi incurſionem facientes, niſi Publica Poteſtate jubente, aut ſaltem permittente. Quo circa, ſi faciant invitis Ducibus Supremis, & privata authoritate, tunc ille, qui fecit irruptionem, reus eſt damnorum omnium ſequentium, & conſequenter ad reſtitutionem tenetur.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An Magnates Chriſtianorum poſſint pauperibus pueros, ac puellas auferre, Turcis tradendos pro vexatione redimenda?

586. RESp. Non poſſe citra Juſtitiæ violationem. Ducor autem. Quia fit injuria pueris, & Chriſtifidelibus raptis, in propriam libertatem jus habentibus; nec Proceres rapiendi authoritatem habent, cum ſint solummodò membra Reipublicæ, etſi potiora, non Caput, nec ab ipſa hujuſmodi authoritatem habuerunt, ſed ex ſemetipſis agunt. Parentibus quoque fit injuria poteſtatem, & poſſeſſionem filiorum habentibus; ergo hujuſmodi traditio puerorum Juſtitiæ adverſatur, ac proindè illicita, ac reſtitutioni ſubjecta.

587. Si petatur, ad quoſnam reſtitutio, & reparatio damnorum pertineat?

588. Reſp. Ad Proceres pertinere, qui cauſæ fuere principales damni illati, nempe puerorum, & aliorum hominum raptorum. Author quippe principalis damni illati ad reſtitutionem tenetur, ex Bonac. de reſtit. in Gen. Diſp 1. Quæſt. 8. Punc. 1. Iterum reſpondetur, reſtitutionem, & reparationem damnorum ad illos omnes pertinere, qui aliquem in hujuſmodi damno ferendo influxum habuerunt, quia cauſa damni extiterunt, uti cum communi docet Magiſter Subtilis 4. Diſt. 13. Quæſt. 2. §. *De Quarto*.

589. Nec quidquam facit, quod objicitur, minus malum eſſe traditionem puerorum, aut hominum in ſervitutem, quam incendium Pagi à Turcis omninò inevitabile. Nam incendium

Pagi

Pagi minus malum eſt, quam violenta traditio puerorum, quæ eſt ab intrinſeco mala, ſit quippe privata authoritate. Si autem fieret Poteſtate Publica, pueri à Proceribus rapi non deberent, ſed à Parentibus peti, quibus renuentibus, Magiſtratu mandante, Populoque conſentiente, poſſent auferri, ſi aliundè traditio illa non ſit peccaminoſa, aut vitabilis.

590. Minùs urget, quod aſſerunt Proceres, ſe nomine Populi pueros tollere Turcis tradendo; hoc quippe falſum eſt, alioquin non magis pueros pauperum, quam divitum tradere deberent; adeoque ſi Proceres parcere cuperent pueris ſuis, compenſationem aliquam Populo tradere deberent, ob quam pauperes potiùs, quam divites tradantur, quod tamen minimè faciunt; adeoque injuſtitia manifeſtè patet.

QUÆSTIO VIII.

An liceat recurrere ad Judices Infideles, etiam erogatâ pecuniâ, aut ad Proceres pariter Infideles, pro Juſtitia adverſus Chriſtianos obtinenda?

591. RESp. licere. Quantum enim ad primam Partem, licitum eſt recurrere pro ſui indemnitate ad legitimum Magiſtratum, ad finem hunc à Deo inſtitutum, Proverb. 8. 16. ubi dicitur: *Per me Principes imperant, & Potentes decernunt Juſtitiam*. Judices autem à Principe Othomanico ſtatuti, legitimi ſunt, non quidem de jure, ſed de facto, ob conſenſum Populorum, & Principum Chriſtianorum; ergo licitum eſt ad eos recurrere, dum neceſſitas poſtulaverit.

592. Se-

592. Secunda Pars eſt quoque perſpicua. Nam etiam pecuniâ erogatâ licitum eſt redimere injuſtam vexationem, & ſaluti ſuæ conſulere, ipſomet jure naturali dictante, ergo licitum eſt dare pecuniam Judici Infideli nolenti alia ratione Juſtitiam miniſtrare: non enim corrumpitur Judex, ſed ſolummodò conducitur ad faciendum, quod de jure debet, & alio modo facere recuſat; hinc abſque labe Simoniæ, aut peccati dari poſſe pecuniam Sacerdoti renuenti citra ipſam Sacramenta neceſſaria miniſtrare, ſi alius nequeat inveniri, qui gratis exhibeat, docet Bonac. de Simon. Diſp. Quæſt. 6. Punc. 5. Layman. Lib. 4. Trac. 10. Cap. ult. num. 21. Ponc. noſt. Curſ. Theol. Diſp. 57. Quæſt. 2. num. 28.

593. Tertia denique Pars conſtat. Quia defenſio ſui ipſius, & rerum ſuarum eſt de jure Naturæ; ergo deficiente Magiſtratu, qui Juſtitiam miniſtret, poſſunt Chriſtiani ad Infideles recurrere Magnates, quando alia ratione Juſtitiam obtinere nequeunt, etſi ſanctiùs rapinam rerum ſuarum ſuſtinerent, ne ſecreta Fidelium Infidelibus proderent.

594. Neque obſtat adverſus primam Partem, reprehendi Fideles à D.Paulo 1.Cor. 6. 1. qui ad Infideles recurrunt, & nolunt tolerare injurias ſibi à Proximo illatas: ibi enim loquitur Apoſtolus, quoties non deſunt alii Judices, qui Juſtitiam miniſtrent, non verò quando deſunt, ut colligitur ex ipſomet textu Apoſtoli dicentis: *Audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos*, ideſt, *Infideles*, juxta explicationem Cornelii Alapide in hunc locum; *& non apud Sanctos*; ergo ſupponit, dari aliud Tribunal apud Sanctos, nempe Chriſtianos; ergo deficiente apud

San-

Sanctos, qui cauſam diſcuteret, non damnat Paulus recurrentes ad non Sanctos, ideſt non Chriſtianos. Hinc Act. 25. 11. ipſemet Apoſtolus Tribunal Cæſaris Ethnici implorat, à Judæis preſſus: *Cæſarem appello*. Hortatur quidem ad patientiam, non tamen condemnat implorare Juſtitiam, quam abſque animo ulciſcendi ſe poſſe invocari à Fideli læſo, docent Bonac. de 1. Præc. Decal. Diſp. 3. Quæſt. 4. Punc. 3.

595. Parùm quoque facit, quod contra ſecundam Partem objicitur, nempe illicitum eſſe, dare Judicibus pecuniam, eſt quippe illos ad vendendam Juſtitiam inducere, & cooperari peccato ipſorum, uti cum multis notat Sanchez Conſil. Moral. lib. 3. cap. unic. Dub. 5., hoc enim verum eſt, ſi fiat ad obtinendum favorem Judicis, & ſententiam etiam injuſtam impetrandam: non vero quando fit unicè ad hoc, ut Juſtitia miniſtretur, quam abſque pecunia miniſtrare non vult; ac proindè non cooperatur peccato Judicis, ſed indemnitas propria quæritur, ab eo quippe non propitia poſtulatur ſententia, mediante pecunia, ſed imploratur ſolummodo Juſtitia.

596. Quod opponitur tertiæ Parti, nempe Proceres illos eſſe Infideles, & Chriſtiani Nominis hoſtes; adeoque illicitum recurſum; nihil officit, cum ed eos reccurratur titulo patrocinii ad Juſtitiam obtinendam, & jus proprium tuendum, & violentiam hoſtium propulſandam, non verò, ut ſuper Chriſtanos juriſdictionem, qua carent, exerceant,

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

An Puella rapta, aut homine occiſo, poſſit Pagus, in quo erant, ulciſci injuriam adverſus Pagum, cujus Incolæ ſunt injuriæ illatores?

597. RESp. non licere. Nam ex homicidio privati hominis, vel raptæ puellæ, niſi fiat in contemptum Pagi, aut Perſona occiſa, vel rapta publica ſit, aut Fidei publicæ commiſſa, in Pagum ipſum non redundat injuria; ergo non licet Pago, in quo delictum commiſſum eſt, à Pago cujus læſi membra ſunt, tantum damni inferri, quantum receptum eſt.

598. Ulteriùs. Pœna adverſus Reos à legitima proficiſci debet Poteſtate, nec niſi Reis auditis, ipſomet jure naturali dictante; at unus Pagus nullam ſuper alium authoritatem habet; ſunt quippe independentes, nec Rei audiuntur; ergo illicitum eſt exigere tantum pro pœna, quantum damni illatum eſt.

599. Nec quid quam facit, quod objicitur, nempe à Pago adverſo damnum fuiſſe illatum, hominis occiſi, aut raptæ puellæ; ergo pœna debet exigi, ne ulteriores injuriæ inferantur. Dico enim, non à Pago in communi, niſi omnes conſenſiſſent, ſed à privata Perſona damnum fuiſſe illatum; adeoque ab ea, non à Communitate pœnam exigi oportere; ſi autem renuat Pagus ille Juſtitiam miniſtrare, offenſores ad congruam ſatisfactionem compellendo, tunc, quia læſio ex conſenſu Populi cenſetur prodiiſſe, poteſt à Pago ipſo compenſatio exigi, & accipi violenter, ſi pacifice dare noluerit.

600. Cæterum ſi hæc conſuetudo Lege ſit firma-

firmata, & mutuum utriuſque Pagi conſenſum ſupponat, videtur hæc conſuetudo aliquo pacto poſſe ſuſtineri, cum in publica videatur fundari authoritate.

QUÆSTIO X.

An ad ſatisfactionem raptæ Puellæ, aut hominis occiſi, poſſit rapi Puella, vel homo Pagi offendentis, & cuſtodiri uſque dum Juſtitia miniſtretur?

601. SUpponendum eſt hic, Perſonam raptam nullo alio modo vexari, ſed ſimpliciter cuſtodiri uſque ad congruam ſatisfactionem: hanc amicabiliter fuiſſe petitam, & denegatam: conſuetudinem verò hanc eſſe univerſalem, & antiquam. His poſitis.

602. Reſp. Poſſe ſuſtineri. Quia hujuſmodi raptu, & detentione, cum unicè ad reparationem damni ordinetur, quæ aliunde haberi non poteſt, non videtur fieri injuria, qua jus alterius violatur.

603. Nec refert, Virum, aut Puellam raptam non eſſe ſemper Perſonæ offendentis. Nam conſuetudo inveterata Populi conſenſu inducta Legem facit, & tollit injuriam, eo pacto, quo contingeret, ſi à Principe concederetur. Tum-quia fine licito exiſtente, media quoque ſunt licita ad eum ordinata; eſt autem licitum conſequi reparationem damni illati, cum in ipſo jure naturali fundetur; ergo licitum eſt rapere aliquem ex offenſoribus, uſque dum ſatisfiat, quoties non datur Princeps Supremus, à quo Juſtitia ſit miniſtranda, ut contingit in caſu.

QUÆSTIO XI.

An liceat prævenire necem inter Populos Albanenſes?

604. Reſp. Si nulla penitùs ſuppetat via mortem declinandi reipſa imminentem, licere invaſorem præventivè interficere: ſecus, non.

605. Prima Pars patet. Nam omnibus permittitur vitam propriam tueri cum moderamine inculpatæ tutelæ, ex communi Theologorum Sententia, ipſoquemet jure naturali dictante: at invaſore injuſto parato ad occiſionem, nulla alia exiſtente via periculum declinandi, occiſio illa præventiva fit cum moderamine inculpatæ tutelæ, quandoquidem deeſt medium aliud necem vitandi, & aggreſſio eſt moraliter certa; ergo ſicuti licitum eſt occidere actualem aggreſſorem, ita licitum eſt, occidere paratum ad occidendum, quando alia ratione occiſio declinari non poteſt. Hinc Navar. Leſs. Ban. & Alii apud Bonac. de Reſtit. in partic. Quæſt. ult. Sec. 1. Punc. 9. aſſerunt, licere Uxori Maritum occidere, ſub cujus cervicali gladium invenit, ſi alia via necem vitare non valeat.

606. Secunda quoque Pars conſtat. Nam ſi alia ſuppetat via periculum declinandi, & nihilominùs intendatur occiſio, aut mutilatio, non eſt amplius inculpata tutela, ſed potiùs vindicta, & inimici offenſio; hinc illicitum eſt Teſtes, & Judicem, à quibus imminet injuſta ſententia, occidere, aut mutilare, juxta damnationem Propoſ. 18. ab Alex. VII. profectam, quia nimirum alii non deſunt modi ſe legitimè tuendi. Nec ita faciles in iis præſertim

Regionibus, quæ barbaricam ſapiunt feritatem, in homicidiis excuſandis Miſſionarii ſe debent oſtendere, ad quæ nimium Populi illi ſunt proclives.

607. Quod verò ſolummodò minæ, quamvis graves de occiſione, aut mutilatione futura interveniant, niſi adſit aliquid aliud argumentum imminentis irruptionis, quæ nullo pacto vitari queat, non videtur ſufficere ad homicidium præveniendum, uti nec ſufficit vehemens ſuſpicio, niſi monitus ab iis, quæ ſuſpicionem ingerunt, nolit reſiſtere, uti monet Molina Tom. 4. Trac. 3. Diſp. 11., ſed requiritur certitudo ſaltem moralis necis imminentis, quæ alio pacto, quam occidendo nequeat declinari: & hoc modo ſatisfit objectis, quæ in oppoſitum poſſunt adduci.

QUÆSTIO XII.

An pro damno à privatis Proceribus adverſus Turcas, aut alios Chriſtianos illato, poſſit totum Oppidum ad pœnæ ſolutionem compelli, itaut etiam Innocentes ad Stipem contribuendam adigantur?

608. RESp. Non poſſe, niſi adſit Lex, aut Populi conſenſus.

609. Prima Pars patet. Nam Divites, & Proceres non habentes propter ſpeciale motivum à Publica Authoritate licentiam, dum Chriſtianorum, aut Turcarum bona irruptionibus diripiunt, agunt ut privatæ Perſonæ; ergo ſicuti damnum illatum ipſis adſcribendum eſt, non verò innocentibus, qui nullum in hujuſmodi irreptiones implicitum, aut explicitum influxum habuerunt: ita nec pœnæ, aut reſti-

tutionis pro rata onere ſunt gravandi, ſed ſolummodò Divites, qui damnum intulerunt, cum ex tritiſſima doctrina ſolos Authores, & participes, aut conſentientes ad reparanda damna illata teneantur.

610. Secunda quoque Pars eſt perſpicua. Nam omnes, etſi non fuerint Authores irruptionum, quia tamen conſenſum præſtiterunt, & influxum habuerunt ſaltem implicitum, & virtualem, idcircò pro rata mulctari poſſunt, cum verè in culpa ſint participes: agentes quippe, & conſentientes eadem pœnâ plectuntur, 11. Quæſt. 3. Cap. *Qui conſentit*.

611. Quæ Proceres opponunt, nullius ſunt momenti. Nam conſuetudo, quam oſtendunt, ex violentia, & præpotentia Procerum manavit, non ex conſenſu Populi; & proinde, utpote juri naturali repugnans, nulla eſt, de Conſuetud. Cap. *Cum tanto*. Patrocinium verò, quo dicunt pauperes tueri, titulus eſt inanis. Quod enim Turcas compeſcant, ne Villas incendant, id non amore pauperum faciunt, ſed ne bona propria cum illis pauperum diripiantur; cum ergo cauſa ſit communis, non apparet ratio, cur ipſi potiùs eximantur ab onere communi, quam pauperes.

QUÆSTIO XIII.

An ſuſtineri poſſint Albanenſium conſuetudines de damnis ob injurias mutuo inferendis?

612. RESp. non poſſe. Legi enim Dei, & naturali repugnant.

613. Prima quidem, qua Homines unius Pagi ob homicidium unius ex ipſis depopulantur Pagum offenſoris, & offenſorem ipſum deinde, aut

aut ejus conſanguineos occidunt, non poteſt ſuſtineri. Nam Reus occiditur abſque ulla defenſione, quod nedum Legi Civili L.*Sæpè* ff. *de Verb. Oblig.*, & Canonicæ 3. Quæſt. 9. Cap. *Non oportet*, ſed etiam Naturali adverſatur: multò autem minùs licet occidere Conſanguineos, qui poſſunt eſſe innocentiſſimi, & tamen occiduntur indefenſi, & quidem privata authoritate.

614. Nec eis ſuffragatur, aliud faciendo, eos timidos apparere; Reum inſoleſcere, & graviora damna inferre: nam petere poſſunt à Pago offenſore punitionem Rei, & damnorum reparationem; quod ſi facere nolunt, bellum poſſunt indicere, cum ſint Reſpublicæ independentes; quo caſu timiditatis notam excutient abſque læſione Juſtitiæ.

615. Secunda quoque ſuſtineri non poteſt, qua pro reſarciendo damno ad incurſiones procedunt, & illud, quod ſuperat damnum ſibi illatum, ſimul comedunt, ſive ad nocentes, ſive ad innocentes pertineat. Tumquia propria authoritate ad reſarciendum damnum procedere non poſſunt; nemo enim Judex in cauſa propria. Tumquia reparatio fieri debet ad æqualitatem damni illati, & quidem à nocentibus, non autem ab innocentibus; ſi autem ignorent quiſnam ſit innocens, vel nocens, ſatagere debent, ut ſciant. Si autem invenire nequeant; Pago, cujus incolis damnum intulerunt, vel certo pauperibus reſtituere debent, juxta Navar. Bonac. Leſs., & Alios apud Buſemb. lib. 3. Trac. 3. cap. 12. art. 2.

616. Tertia, qua unus jurat alteri fœnus minimè daturum, alter verò ſe nihil hoſti miniſtraturum, aut non permiſſurum domum ſuam intrare, tametſi conſanguineum, pœnâ pecunia-

cuniariâ frangentibus hujuſmodi Juramentum taxatâ, cujus pretium in convivio comedunt; non minorem continet abſurditatem, cum Juramenta iſta ſint invalida, de Reg. Jur. in 6. ℞. 58. Cap. *Non eſt obligatorium*; & propterea injuſtè quoque pœna violantibus taxatur, cum non deſint alii modi hoſtes compeſcendi.

617. Quarta, ut ſi Pagus ab alio offendatur ob unius incolæ interfectionem, nec invadi poſſit, & diripi, vicinioris infirmioris Pagi Puellam, vel Alium captivum abripiunt, & Pagum depopulantur: hoc autem manifeſtè injuſtum eſt, cum Pagus proximior nullam penitus habeat culpam ob offenſionem à Pago remotiore illatam.

618. Neque excuſantur exemplo Principum, qui Urbem Offenſori proximam aut obſidione, aut depopulatione puniunt. Nam ideò fit, quia Urbs Offenſori proximior, eidem Principi offendenti ſubditur, eſtque res ejuſdem; propterea juſtè diripitur, cum res Offenſoris diripiatur. Pagus autem proximior in caſu noſtro nullam habet connexionem cum Offenſore ab illo penitùs independens; ergo injuſtiſſime ab eo exigitur pœna pro alterius delicto.

619. Quoniam verò Populi illi rudes barbariem adhuc minimè depoſuerunt, nec ita facile ad reſtitutionem poſſunt reduci, duos modos ſatis aptos, ut eorumdem ſaluti conſulatur, à P. Thoma à Feltrio Reformatæ Provinciæ Venetæ Theologo, & Canoniſta inſigni excogitatos, atque in ſuis ad PP. Miſſionariorum Albanenſium interrogationes reſponſionibus ad Vigeſimum expreſſos, propono.

620. I. Ut circa damna præterita fiat generalis remiſſio, ac omnibus querelis hactenus

 exci-

excitatis perpetuum imponatur ſilentium. Quoniam verò Populi illi Principe carentes Supremo, habentur veluti Reſpublicæ, omninò independentes, ut optimè Molin. de Juſt. Tom. 1. Trac. 2. Diſp. 100. authoritate gaudent Leges condendi, abrogatis antiquis conſuetudinibus adeo inhumanis, ſtatuta edant nova rationabiliora, Jurique Naturali, Divino, atque Humano magis convenientia, quibus in poſterum gubernentur, quibus omnes parere tenebuntur, etiamſi à quopiam damnum aliquod toleretur privatum: bonum enim commune particulari cujuſcumque prævalere debet, ut optimè diſcurrit Caſtropalaus Part. 6. de Charit. Diſp. 5. num. 26.

621. II. Si novas Leges condere recuſarent, poſſet alio pacto occurri malis recenſitis, ut nimirum, in dicta damnorum, ac injuriarum mutua remiſſione, veteres conſuetudines non quidem abolerent, ſed corrigerent hoc pacto.

622. I. Villa offenſa petere poteſt à Villa Perſonæ offendentis, ut ipſam cogat ad congruam ſatisfactionem tribuendam.

623. II. Villa offendentis de crimine, aut damno commiſſo inquirere debet, & auditis defenſionibus, Reum prætenſum aut abſolvere, aut damnare, juxta Suarez de Charit. Diſp. 13. Sec. 6. num. :.

624. III. Si debita ſatisfactio à Villa offendente præbeatur, aut offeratur, Villa offenſa omninò debet conquieſcere.

625. IV. Si Villa offendentis nullam velit inquiſitionem habere, vel nolit Reum punire, imò tueri ſatagat, nec patiatur capi à Villa offenſi; tunc Villa offenſi inquirere, ac capere poteſt Reum, ſi poterit invenire, ac præmiſſis defenſioni-

nibus, debita pœna mulctare; aut ſi hoc à Villa offendentis minimè fuerit permiſſum, jus habet integrum adverſus Villam offenſoris bellum agere, quod quidem juſtiſſimum erit.

626. Quoties ergo Pœnitens ſe correctionibus conſuetudinum velle ſtare polliceatur, ac Leges de generali delictorum, & injuriarum remiſſione latas obſervare, etſi incommodum aliquod patiatur, ſeque Legi illi ſubſcribere paratus ſit, videtur dignus Abſolutione; facit enim totum, quod in ſe eſt, ut integrè reſtituat, nec lædat in poſterum; reſiduum enim, quod deberetur, publica authoritate, conſenſuque communi condonatur: quo caſu reſtitutioni non eſſe locum, tenent Theologi. Quoties autem nullum ex his facere velint, tunc veluti omninò indiſpoſiti Abſolutione Sacramentali ſunt abſolutè deſtituendi.

QUÆSTIO XIV.

An liceat dare mutuo pecuniam, recipiendo decem pro centum; & vinum, & triticum emere viliſſimo pretio, ut tempore ſuo ſummo vendantur, maximè ſi à Venditoribus taxetur?

627. Reſp. Nullum ex his in conſcientia licere.

628. Prima Pars patet, nempe non poſſe dari mutuum, ſolvendo decem pro centum; & ratio eſt perſpicua: Nam manifeſta committitur uſura, mutuando pecuniam animo aliquid extra ſortem accipiendi, de Uſur. Cap. *Conſuluit*, & idcircò vetita, Cap. *Uſurarum* de Uſur. in 6.; eſtque communis, ex Lugo de Juſt. & Jur. Tom. 2. Diſp. 25. Sec. 2. qui autem accipit

 de-

decem pro centum in mutuo, aliquid accipit ſupra ſortem: accipit enim pluſquam valet res ipſa, quam dedit; ergo illicitè facit.

629. Secunda quoque Pars eſt evidens. Nam injuſtum eſt vendere rem pretio minori, quam infimo, ut concors eſt Doctorum omnium ſententia: viliſſimum autem eſt inferius infimo, alioquin viliſſimum non eſſet; ergo illicitum eſt vendere pretio viliſſimo.

630. Nec valet reponere, pretium eſſe quidem viliſſimum, quando tribuitur pecunia, non autem quando dantur vinum, & triticum; hoc enim infringitur: nam illi, de quibus nunc eſt difficultas, nempe Albanenſes Proceres, accipiunt pretio viliſſimo vinum, & triticum, non quando dant pecuniam pauperibus, ſed quando fit vindemia, & colligitur triticum; ergo eo tempore accipiunt, quo eſt viliſſimum pretium, non verò infimum; ergo Divites, & Proceres dando pecuniam tempore determinato, accipiendo autem triticum, & vinum, quando colliguntur, illicitè, & uſurariè agunt, dum emunt viliſſimo pretio, & aliquid accipiunt ratione dilatæ ſolutionis, quod ab Innoc. XI. proſcriptum eſt damnata Propoſ. 41., qua dicebatur: *Cum enumerata pecunia prætioſior ſit numerandâ, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.*

631. Tertia denique Pars apertiſſimè liquet. Nam præſcribere pretium rei vendendæ non pertinet ad Venditorem, ſed ad Publicam Poteſtatem, vel ſi ipſa deſit, ex valore ipſiuſmet rei vendendæ deſumendum eſt; ſpectatis, loci, temporis, frequentiæ Emptorum, aut mer-

mercis raritatis circumſtantiis, uti notat Lugo de Emptor; & Vendit. Diſp. 26. ſec. 4. ergo contractus, in quo Venditor pretium Emptori præſcribit, communi æſtimatione minimè attenta, injuſtus eſt.

632. Benè quidem poteſt quis tempore, vindemiæ, aut collectionis tritici emere vinum, & triticum pretio infimo tunc currenti, ut illa vendat alio tempore pretio rigoroſo, & ſummo: at non poteſt emere merces hujuſmodi pretio viliſſimo, & infimo inferiori.

633. Opponunt I. contra primam Partem. Conſuetudinem veteratam, ab Epiſcopis toleratam: at conſuetudo Dei Legi, Jurique Naturali repugnans, non eſt conſuetudo, ſed corruptela, ac proindè tollenda. Paſtores verò merè tolerantes, quod reformare non poſſunt, rem illicitam minimè excuſant.

634. Inſtant II. Pauperes non poſſe reſtituere, niſi poſt annum, vel etiam duos; eo autem tempore mutuans pecunia egebit; ergo licet exigere decem pro centum. At hoc minimè convincit intentum. Quamvis enim aliquid recipi poſſit pro lucro ceſſante, ac damno emergente, ſi certum fuerit, vel ſi dubium, pretium interceſſerit; non tamen præcisè ob ſolutionis dilationem; hæc enim eſt manifeſta uſura, ut notat Lugo ſec. 3. Diſp. 25. Tom. 2. de Juſt., & Jur., cum ſit purum mutuum; & incommodum, quod ſentitur ex dilatione, compenſatur ex certitudine ſolutionis, cujus pretium, ſi amittatur, à mutuatario debet refundi.

635. Objiciunt III. Niſi dentur decem pro centum, non inventum iri, qui pecunias pauperibus mutuaret, qui propterea cogentur ſub rigidis uſuris eas accipere; ergo licitus eſt iſte contractus, pauperibus favens. At neg. con-

ſeq. ſolummodò enim ſequitur hoc, nempe non peccare pauperes, pecuniam cum uſuris accipiendo, non verò licere Divitibus accipere in mutuo decem pro centum.

636. Adverſus ſecundam Partem opponunt. Divites à pauperibus rogari pro pecunia obtinenda, cujus eſt magna penuria. II. Pecuniæ facilius aſportantur, quam cætera alia, ſi ob immanitatem Turcarum fugere contingat. III. Majus incommodum ſentiunt pauperes, ſi vendantur ab eis mobilia, & immobilia, quam hujuſmodi contractu; ergo licitus eſt. At nihil rationes iſtæ concludunt. Non quidem prima: nam Divites etiam rogati non poſſunt uſuram committere, neque alium illicitum contractum habere, maximè ſi aliundè habeant, unde lucrari poſſint. Non ſecunda: nam commodum mutuatarii non dat mutuanti jus, ut illicitum celebret contractum, alioquin omnes uſuræ licerent. Tertium, ob eamdem rationem non evincit: ex majori enim incommodo pauperibus ex denegata pecunia reſultante, non redundat jus in Divites emendi à pauperibus pretio non juſto.

637. Non abnuerem tamen ob paucitatem Emptorum, pecuniæ raritatem, & Venditorum multitudinem poſſe aliquid de pretio minui, ut concedit Bonac. de contrac. Diſp. 3. Quæſt. 2. Punc. 4. Propoſ. 2. at diminutio hujuſmodi non debet eſſe exceſſiva, ut contingit in caſu.

QUÆ-

QUÆSTIO XV.

An Redemptor pignoris de manibus Infidelium fructus accipere poſſit abſque onere reſtitutionis?

638. RESp. Redemptorem pignoris è manibus Infidelium, non poſſe retinere fructus ejuſdem, ſed cum pignore fructus quoque reſtituere debere, pretio accepto redemptionis, detractis expenſis, laboribus, & induſtria in pignore conſervando, ſi fructiferum ſit.

639. Oſtenditur autem breviter. Nam Redemptor pignoris transfert in ſe onus, quod habebat pignoris Poſſeſſor: at iſte tenebatur reddere Debitori fructus omnes pignoris, detractis expenſis, & induſtria; ergò etiam ad id tenetur Redemptor pignoris. Prob. min. Nam fructus debentur Domino pignoris, à quo proveniunt, niſi computentur in ſortem: at Debitor eſt Dominus pignoris fructiferi, traditi primo Creditori; ergo ſicut tenebatur Creditor principalis tradere Debitori pignus, ſi debitum ſolviſſet, cum fructibus ejuſdem, detractis expenſis, & induſtria, uti cum communi tenet Bonac. de contrac. Diſp. 3. Quæſt. 3. Punc. 9. Propoſ. unic. Lugo de Juſt. & Jur. Diſp. 25. ſect. 4., ita quoque tenetur Redemptor pignoris.

640. Attamen pro objectione adduci poſſet conſuetudo: at hæc, utpote Juri Naturali, & Divino contraria, nihil officit, ut toties dictum eſt.

641. Objici quoque poteſt, Beneficium collatum eſſe Debitori, ejuſdem pignus ab Infidelibus redimendo; ob Beneficium autem actus

gratitudinis referri debet, non exigi reſtitutio: at hoc quoque non urget: militat enim hujuſmodi regula de Beneficio oneroſo, non autem de ſimplici, de quo ſufficit non referre jacturam, alioquin liceret aliquod ſupra ſortem in mutuo exigere, quod manifeſtè uſurarium eſt: Redemptor autem pignoris nullam patitur jacturam, cum ſupponamus ſortem principalem in tuto poſitam, & medietatem fructuum pignoris fructiferi retinere poſſe, ſi eorum valor expenſis, & laboribus in eo conſervando impenſis æquivaleret.

642. Si autem petatur, an adſit modus pauperibus Albanenſibus inter Infideles verſantibus ſubveniendi, quin lucrum aliquod à Proceribus amittatur, & nihilominus nulla committatur uſura?

643. Reſp. Adeſſe. Suppetit quippe cenſus, qui eſt contractus, quo pro determinata pecuniæ quantitate venditur jus percipiendi penſionem ex re fructifera, vel fructiferæ æquivalente, donec Capitale reſtituatur. Ita ex communi deſcribitur apud Bonac. cit. Diſp. de Contrac. Quæſt. 4. Punc. unic. dummodo conditiones ſerventur, à S. Pio V. deſcriptæ in Bulla ſua: *Cum onus*.

644. Secundus modus eſſet, à paupere vendi prædium, domum, vel aliud ſimile Divitibus, qui pecuniam erogarent; ipſi verò illud idem prædium pauperi locarent juſta impoſita penſione, qua mediante Divites lucrarentur, abſque umbra peccati, dummodò à ſimulatione caveretur, ne ſub locationis, & venditionis ſpecie palliaretur uſura.

645. Tertius modus eſt, aliquid præſcribere exigendum, non quidem ratione mutui præcisè, ſed ob difficultatem ſortis recuperandæ,

dæ, vel periculum ejuſdem amittendæ, præſcindendo etiam à lucro ceſſante, & damno emergente, uti firmat Leſſ. Lib. 2. de Juſt., & Jur. Cap. 20. Dub. 3.

646. Quantum verò ad præteritum poſſet occurri neceſſitati Pauperum, ac Divitum indemnitati doctrinâ, quam dat Leſſius loc. ſup. cit. Dub. 12. tradente, contractus illicitos poſſe reduci ad licitos, quotieſcumque bona fide ex utraque parte emiſſi fuerint, & uterque intendit conſentire in titulos omnes, quibus poſſunt juſtificari; adeoque non teneri ad reſtitutionem. Sic mutuum decem pro centum poteſt reduci ad licitum, quia Dives, niſi Pauperi mutuaſſet, aquiſiviſſet lucrum alterius contractus liciti: aderant quoque probabile periculum ſortis amittendæ, difficultas, & expenſæ in eadem recuperanda; cum ergo in Populis Albanenſibus non deerit bona fides ratione inveteratæ conſuetudinis, Miſſionis Paſtorum, & conſenſus Populorum in contractum omnem licitum, qui fieri poſſet, ſanari queunt contractus præteriti, imponique, quantum ad reſtitutionem pauperum ſilentium, dummodo caveatur in poſterum.

QUÆSTIO XVI.

An Contractus cenſuarius apud Orientales ſolitus, & in pignore tantum, non verò in re fructifera, & immobili fundatus, ſit licitus?

647. RESp. Præſcindendo à Lege poſitiva humana, hujuſmodi cenſum ſuſtineri ut licitum poſſe.

648. Ducor autem. Quia in hujuſmodi cenſuali contractu nihil adeſt Juſtitiæ contrarium.

rium. Hic enim habetur, & ſupponitur venditio juris exigendi penſionem ex bonis Cenſuarii: hoc autem licitum eſt, ſicuti licitum eſt Cenſuario omnia bona ſua vendere, & ſicut poteſt tradere bona ſua in Emphiteuſim, ita poteſt tradere ad cenſum vel omnia, vel nonnulla; vel ſi caret bonis, fundare poteſt cenſum ſuper induſtriam, ex Leſſ. Molin. & Aliis apud Bonac. de Contrac. Diſp. 3. Quæſt. 4. Punc. unic. Intervenit quoque juſtum pretium, quod antiquiſſima conſuetudine ſtatutum eſt Legi æquivalente, ex Rebell. Lib. 10. Quæſt. 1., & Aliis apud præfat. Bonac. loc. cit. ergo contractus iſte eſt verè cenſualis, & licitus.

649. Neque officit, hunc cenſum eſſe redimibilem, atque ut talem ſtatui, pacto mediante; ſicuti enim ſecundum ſe jus exigendi penſionem eſt vendibile in perpetuum, ita vendibile eſt ad tempus determinatum, ſi pretium utrique reſpondeat juſtum, itaut pro jure perpetuo augeatur pretium, minuatur pro temporali, ſi ex utraque parte adſit conſenſus.

650. Dixi autem in reſolutione, *preſcindendo à jure poſitivo humano*, eo quia S. Pius V. Bulla *Cum onus*, plura requirit ad cenſus validitatem, quæ in hujuſmodi contractu minimè inveniuntur, ut V. G. quod fundetur cenſus in re fructifera immobili; quod poſſit redimi quotieſcumque Cenſuarius voluerit, reddita ſorte, & monito Cenſualiſta duobus ante menſibus. An verò obliget hujuſmodi Bulla, etiamſi apud Orientales nec fortaſſe promulgata ſit, nec acceptata, aliorum relinquo judicio reſolvendum.

651. Primum, quod opponi poteſt, ex Bulla S. Pii V. deſumitur hujuſmodi contractum vetantis: at hoc jam preventum eſt, id conceden-

cedendo: àttamen concluſio præſcindit à jure poſitivo humano.

652. Secundum, quod objici poteſt, non vendi jus exigendi penſionem, cum nihil detur, ſuper quo cenſus fundatur: non res fructifera, cum poſſit pignus, non eſſe talis, ut V. G. torques, gemma, veſtis &c. Non induſtria Perſonæ artem aliquam callentis, alioquin pignus non præberetur; ergo hujuſmodi contractus non eſt verus cenſus, ſed mutuum uſurarium, quo ultra ſortem reſtituendam imponitur penſio, uſque ad debiti ſolutionem.

653. Ad hoc Reſp. neg. ant. ad probationem dico, contractum fundari in bonis Venditoris, ſive naturalibus, ſive induſtrialibus, ex quibus eruitur penſio. Quod verò res debeat eſſe fructifera, ſuper qua cenſus fundatur, non oritur ex Jure naturali, ſed poſitivo humano. Idcirco autem datur pignus, ut aſſecuretur ſors principalis pluribus periculis inter Barbaros Orientales expoſita, ut optimè Sac. Cong. de Propag. Fid. 1631. die 3. Februarii, adjectis nonnullis conditionibus declaravit. Videatur Molina Tom. 1. Trac. 2. Diſp. 375. de Juſt. & Jur. Lib. 2. Cap. 22.

654. Tertium, quod poteſt adverſari. Bona in quibus fundatur cenſus deſignata eſſe oportere: at hujuſmodi cenſus fundatur ſolummodò ſuper bona in genere; ergo eſt illicitus.

655. Ad hoc dico, Bona deſignari debere, non eſſe neceſſarium in ſe, ſed ſolummodo ex Bulla S. Pii V. cum bona in genere, dummodò exiſtant, ſufficiant ad penſionis ſolutionem; pro ſortis autem aſſecuratione periculis expoſitę datur pignus.

QUÆ-

QUÆSTIO XVII.

An Chriſtifideles ab Infidelibus capti, & in eorum ditionibus venditi, poſſint à Chriſtianis emi, & iterum vendi?

656. Reſp. Captivos hujuſmodi emi, quidem poſſe, ut libertati reſtituantur, non tamen ut in ſervitute remaneant, ut denuò aliis vendantur etiam poſt diuturnum famulatum.

657. Ratio primæ Partis eſt. Quia nedum licitum, ſed laudabile eſt Chriſtifideles de manibus Infidelium eripere: emendo autem ipſoſmet Captivos ſub nomine emptionis è poteſtate redimuntur Infidelium, & vindicantur in libertatem filiorum Dei; ergo actus emendi hujuſmodi Captivos, nedum licitus eſt, ſed laudabilis, utpote opus eximiæ Charitatis.

658. Secunda Pars evincitur ex hoc, quod illicitum eſt emere ut ſervos, & ut tales remaneant, quos conſtat, aut ſaltem dubitatur injuſtè fuiſſe libertate ſpoliatos, & in ſervitutem redactos; emerentur enim res alienæ, vel ſaltem, de quibus dubium eſt, an ſint propriè Vendentis: conſtat autem, Captivos Conſtantinopolim, Tunetum, aut Tripolim adductos, atque mercaturæ expoſitos injuſtè fuiſſe captos, cum nullum legitimum bellum adeſſet, mediis excurſionibus, & raptu violento; vel ſaltem de hoc adeſt violenta præſumptio, perpenſa Turcarum, Maurorum, ac Tartarorum rapientium, atque vendentium qualitate; ergo illicitum eſt eos emere, ut in ſervitute remaneant.

659. Tertia quoque Pars eſt perſpicua. Nemo enim juſtè poteſt alteri vendere, quòd ſuum

non

non eſt, aut fundatè dubitatur, an ſit ſuum; ac proinde non tranſit in poteſtatem ementis: at illi captivi Chriſtiani, qui emuntur, non erant de dominio Turcarum vendentium; ergo neque ſunt in dominio Chriſtianorum ementium: ut enim habetur de Reg. Jur. in 6. *Nemo plus juris transfert in alium, quam ſibi competere dignoſcatur*; cum ergo Mercator, qui emit Captivum Chriſtianum de manu Maurorum, aut Tartarorum, non aquiſiverit dominium illius Captivi venditione, non poteſt illud in emptorem transferre.

660. Neque excuſat diuturnus famulatus, qui vicem gerere videtur longevæ poſſeſſionis, ut enim habetur de Reg. Jur. in 6. *Poſſeſſor malæ fidei numquam præſcribit*; at Mercator Chriſtianus emens à Turcis Chriſtifidelem Captivum eſt poſſeſſor malæ fidei, ut viſum eſt; ergo numquam dominium aquirit illius Captivi, quem emit: adeoque neque vendere potuit: bene quidem pretio diuturni famulatus poteſt compenſare illud, quo ipſum à captivitate redemerat, ad quod non tenebatnr.

661. Opponitur contra primam Partem: Eos Captivos, de quibus diſputatur, malè, & injuſtè à Turcis, & Tartaris vendi, utpote res non ſuas; ergo malè quoque à Chriſtianis emuntur. At hoc facilè ſolvitur, neg. conſeq. non enim emuntur, ut fiant emptoris, ſed ut in priſtinam libertatem revocentur, qua injuſtè fuerant privati.

662. Objicitur contra tertiam Partem. Nam quouſque Servi redimantur, in Domini poteſtate manent; ergo quemadmodum eos emere potuit; ita quoque illos vendere, cum ad idem dominium utrumque pertineat: diſponit quippe Mercator de re ſua. Hoc tamen verum eſſet, ſi Chri-

Chriſtifidelis in emptoris poteſtate fuiſſet. Quoniam autem revera non eſt, emit quippe rem alienam, de ipſo nequit diſponere, ſed ad ſummum ab eo exigere pretium emptionis, uti ſit de re furtiva, cujus pretium exigi poteſt, reddita re furata. Bene poteſt Mercator ille computare cum pretio diuturni famulatus pretium, quo ipſum è manibus Infidelium redemit; quoniam ad hoc minimè obſtringeretur.

QUÆSTIO XVIII.

An Chriſtifideles teneantur redimere eos, qui bello capti macello exponuntur, ut eorum carnibus efferati Populi veſcantur; redemptos verò in ſervitutem vendere poſſint?

663. Reſpon. Cum Molina de Juſt. & Jur. Tom. 2. Trac. 2. Diſp. 33. Mercatorem Chriſtianum teneri redimere injuſtè interficiendum, & macello exponendum, neque poſſe illum vendere; etſi pretium redemptionis mutuo datum compenſare liceat diuturno famulatu, ſi verò juſtè interficiatur, non teneri.

664. Prima Pars patet. Nam tali pacto injuſtè occidendus in extrema verſatur neceſſitate; ergo Chriſtifidelis tenetur ei ſuccurrere redimendo, ſi detur facultas, cum Proximo extrema neceſſitate laboranti ſubveniri ſub pœna lethalis peccati oportere doceat cum communi Sanc. Thom. 2. 2. Quæſt. 66. art. 7.

665. Nec officit Infidelitas; cum etiam Infideles ſint Proximi noſtri, utpote æternæ vitæ capaces, & propterea diligendi, ex Doct. Subtili 3. Diſt. 28. Quæſt. unic. aliiſque cum eo apud Maſt. noſt. Diſp. 19. Quæſt. 3. art. 2.

666. Secunda quoque Pars conſtat. Nam Infi-

Infidelis ille injuſtè fuit captus, nec ullo titulo in capientis dominium tranſiit; ergo ſicuti nec occidi, aut vendi poterat, ita neque à Chriſtifideli ejus dominium fuit aquiſitum; adeoque neque licet eum vendere.

667. Tertia Pars ſuadetur. Nam ad ſatisfaciendum Charitati erga extrema, vel quaſi extrema neceſſitate laborantes, non opus eſt ſemper eleemoſynam liberaliter elargiri, ſed ſubvenire licet indigentibus, vel mutuo, vel alio contractu, quoties habeat unde compenſare valeat ſaltem labore, aut induſtria, ex Bonac. de 1. Decal. Præcep. Diſp. 3. Quæſt. 4. Punc. 6., cum quo Alii ſentiunt, ut Navar. Tolet. Laym. at Captivo illi ſufficienter ſuccurritur, paciſcendo de compenſatione famulatus ob pretium redemptionis charitativè ſolutum; ergo licitum eſt dare mutuo pecuniam Captivo illi per famulatum compenſandam.

668. Ultima Pars eſt perſpicua. Nam ſi Captivus ille juſtè occidi poterat, licebit quoque in perpetuam redigi ſervitutem; adeoque licitè à Chriſtianis emi, & in eadem detineri, aut venditione diſtrahi.

669. Quod objicitur contrà primam Partem, Infideles, quales ſunt hujuſmodi Captivi, non eſſe membra Eccleſiæ; ergo nec dari præceptum iis ſubveniendi; diluitur negando conſeq. Quamvìs enim Eccleſiæ membra non ſint, & propterea ejuſdem juriſdictioni minimè ſubjecti; attamen Deo copulantur per Creationem, & Redemptionem, quibus nobiſcum communicant, & propterea Legis quoque Charitatis materia eſſe poſſunt.

670. Quod opponitur adverſus ſecundam Partem, nempe Mercatorem non teneri ex Juſtitia, ſed ſolummodò ex Charitate Captivo illi

ſub-

ſubvenire in extremâ neceſſitate verſanti; ergo ſicut illum pretio erogato emit, ita illum vendere poteſt; ruit facile. Nam quidquid de antecedenti ſit, de quo Theologi ſunt ancipites, diverſis diverſa ſentientibus apud Maſtr. noſt. Theol. Moral. Diſp. 10. Quæſt. 3. art. 2. Neg. conſeq. Nam etſi, pretio erogato, Mercator Captivum emerit, quia tamen non erat in Vendentium vero dominio, ſicut verè non emit, ſed ſolummodò redemit, ita quoque illum vendere non poteſt, utpote rem non ſuam: benè quidem aut pretium impenſum, aut famulatum loco ipſius exigere juſtè poteſt.

QUÆSTIO XIX.

An Mercatores Chriſtiani licitè poſſint emere, aliiſque vendere Barbarorum filios, ac filias ab ipſorum Parentibus, ut famis neceſſitati conſulant, publicæ Mercaturæ expoſitos?

671. Reſpondetur Licere. Ita Molina Tom. 1. de Juſt. Trac. 2. Diſput. 33., & 35. Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 3. Quæſt. 2. art. 1.

672. Ducor autem. Quia licitum eſt Patri vendere filios non adhuc emancipatos, urgente neceſſitate, eoquia ſub pleno Patris dominio verſantur, uti ſupponitur L. 2. C. *De Patribus, qui filios ſuos diſtraxerunt*; ergo licet quoque Mercatoribus Chriſtianis eos vendere, cum, emere, & vendere ſint correlativa.

673. Confir. Non minùs Pater dominium ſuper Filios habet, quam ſupra ſemetipſum, cum Filii de ſubſtantia Patris cenſeantur; at Pater licitè poteſt ſemetipſum vendere in ſervitutem, cogente juſto motivo, uti fecit S. Paulinus

linus Nolæ Epiſcopus, ut Filium Viduæ à Wandalorum captivitate redimeret; ergo poteſt licitè vendere Filios, neceſſitate vera compellente.

674. Nec officit, teneri Patrem Filios in vera Religione, ac morum probitate educare, quod non faceret, eos alienis vendendo: in tali enim caſu non petiret educatio, ad quam tenerentur illi, qui Filios venditos emerent, Patri quippe in eodem onere ſuccederent.

675. Opponi quoque poteſt, Patres, qui Filios offerunt emendos, in extrema verſari neceſſitate; ergo ſubveniri ipſis ex Charitate debere, non autem Filios ipſorum emi neceſſitate oblatos. Nam ex quo Filios habent juxta conſuetudinem Patriæ diſtrahendos, dici nequeunt Patres extrema laborare neceſſitate; adeoque ipſis ex mera Charitate ſubveniri oportere, uti notat Valentia, cum Aliis apud Bonac. de 1. Decal. Præcep. Diſp. 3. Quæſt. 4. Punc. 6. Prop. 2. n. 15. Maximè quia non coguntur à Mercatoribus Patres exhibere Filios, ſed ſpontè oblatos pro annona accipiunt. Nec eadem Lex Charitatis cum Infidelibus, quæ Fidelibus exhibenda eſt, requiritur.

676. Quæres I. An liceat in caſu propoſito vendere Filios à Parentibus venditos ob extinguendam famem?

677. Reſp. Licere. Sicut enim à Parentibus emere poterant Catholici, ipſiſque uti veluti ſervis licitè venditis, ita eos denuo vendere poſſunt, dominio in emptores translato: hoc enim nulla Lege vetitum eſt.

678. Quæres II. An extra caſum famis extremæ Filios vendere liceat?

679. Reſp. Licere in alia æquivalenti neceſſitate. Nam ſicut Pater poteſt vendere ſemetipſum

ipſum non tàntum in extremâ, verum etiam in urgente alia neceſſitate, ita quoque vendere filios, non tamen ob levia motiva, ut V. G. ob emendi jocalia, uti faciunt Indi. & Sini: hoc enim pietati paternæ erga filios repugnat; quocirca Mercatores ementes in tali caſu ad reſtitutionem videntur teneri, pretio redempto.

QUÆSTIO XX.

An liceat apud Æthiopes pro furtis Patrum, vel ob alia ipſorum delicta filios, ac affines in ſervitutem redigere; Mercatoribus verò Chriſtianis mercaturæ expoſitos emere?

680. RESp. Filios òb delictum Patris, etſi leve, ſi Reipublicæ interſit, in ſervitutem poſſe redigi, non verò Uxorem, aut alios propinquos; ac à Mercatoribus Chriſtianis poſſe emi. Ita Mol. Tom. 1. de Juſt. Diſp. 35.

681. Ratio primæ Partis eſt. Quia Pater etiam ob furtum, aut aliud delictum leve, ſi Reipublicæ interſit, morte mulctatur, ut in Exercitibus benè ordinatis videmus; ergo id licet quoque inter Æthiopes, ut aliis cedant in exemplum, ne aliena rapere præſumant; adeoque ſervitute quoque mulctari; igitur etiam Filii ipſorum, cum ſint aliquid ipſiuſmet Patris, & ſub ejuſdem poteſtate, donec emancipentur, maneant, eadem pœna ſervitutis plecti poſſunt.

682. Secunda Pars eſt perſpicua. Nam ſicut in ſervitutem poſſunt redigi, ita quoque vendi, & mercaturæ exponi; ergo licitum quoque erit Mercatoribus Chriſtianis eos emere, cum propria ſint libertate deſtituti.

683. Tertia Pars ex aliis ſequitur. Quia

Affi-

Affines, & Conſanguinei non ſunt portio ſubſtantiæ Patris, nec ipſius ſubduntur poteſtati. Uxor verò non ſubditur veluti ancilla, ſed conſors, & in iis, quæ Matrimonium non tangunt, ſui juris domina: hinc à Marito vendi non poteſt, & propterea Mariti leſæ Majeſtatis rei bona publicantur, non autem Uxoris, L. *Eorum* ff. ad L. *Juliam Majeſtatis*; ergo ob delictum Patris redigi nequeunt in ſervitutem.

684. Si tamen delictum Patris enormiſſimum ſit, etiam Affines, & Uxorem ſervitute poſſe puniri, probabile eſt: videmus enim ob crimen leſæ Majeſtatis nedum Reum ipſum, ſed totam ſtirpem infamia perpetua, bonorum omnium confiſcatione puniri, L. *Quiſquis*. §. *Filiis* C. *ad Legem Juliam Majeſtatis*. Idipſum facit Eccleſia cum Hæreticis, quorum bona Fiſco applicantur, etſi Filii ſint penitus innocentes, de *Hæreticis* Cap. *ad Abolendam*.

685. At Argumentum in oppoſitum contra primam Partem, nempe videri lumini naturali repugnare, filios innocentes puniri ſervitute ob delictum Patris interdum leve, jam præventum eſt: eſt quippe oſtenſum, ob delictum alienum poſſe quem puniri. Neque hoc Juri naturali repugnat; qui enim punitur non eſt omninò innocens, cum ad nocentem aliqua ratione pertineat, & Juri naturali eſt conforme, ut Reipublicæ, quæ totum corpus eſt, integritati ſervandæ membrum aliquod immoletur, etiamſi ſanum videatur: Hinc Sacri Canones, ut Hæreſis terrorem incutiant, filios Hæreticorum Beneficiis omnibus, & officiis exuunt, de Hæret. in 6. Cap. *Quicumque*. An verò delicta Æthiopum talia ſint, ut etiam ſervitutem in filiis mereantur, hoc utique ad Mercatores ipſos pertinet inquirere.

QUÆ-

QUÆSTIO XXI.

An à Mercatore Catholico poſſit emi ſervus, quem conſtat pluries fuiſſe venditum?

686. RESp. Licere, quoties nullum rationabile dubium oriri poſſit, quin legitimè vendatur; ſecus verò, quando de injuſtitia venditionis conſtat, vel ſaltem juſtè poteſt dubitari.

687. Prima Pars patet. Nam in tali caſu nullum datur motivum, quin liceat talis contractus ambigendi; præſumptio enim legitima habetur de contractus innocentia, ut contingit, quoties ſervi venduntur in Regno, ubi neque rapinæ hominum, neque injuſtæ irruptiones, neque injuſtum bellum haberi ſolent; ergo ſicut licebat primo Emptori ſervos, mediante pecunia, ſibi comparare, ita licitum eſt ultimo, cum multi ſint juſti tituli ſervitutem inducendi, ut nativitatis, delicti, juris belli, & aliorum, uti notat Laym. Lib. 3. Trac. 1. Cap. 5.

688. Secunda quoque Pars eſt perſpicua. Nam quoties de injuſtitia primæ venditionis conſtat, ut contingit in Regnis Cafrariæ, Africæ, Æthiopiæ, aliiſque conterminis, in quibus à Magnatibus ſervi inviti rapiuntur, vel injuſtis incurſionibus abducuntur, oritur quoque dubium de ſubſequentibus; adeoque etiam de ultima, quod verè fuerit injuſta, cum ſervus oblatus ad emptionem ab iiſdem Regionibus prodeat; ergo non poteſt emi abſolutè, cum dubitetur, injuſtiſſimè rem eſſe alienam furto, aut rapina ſublatam, ac propterea ſucceſſivè

ceſſivè injuſtè diſtractam ; igitur Mercator Catholicus non poteſt illum emere abſolutè loquendo, ſed inquirere de juſtitia venditionis, ſicut tenebatur primus Emptor : licet enim potior ſit conditio poſſidentis ; hoc tamen verum eſt, quando dubium eſt poſterior poſſeſſione, nec, omni diligentia adhibita, vinci poteſt, non verò quando ipſam antecedit.

689. Opponitur I. Nam multiplex venditio paſſiva ſervorum videtur tollere omnem præſumptionem injuſtitiæ in proximo Venditore : cum enim ipſe à bona fide ab alio Venditore emerit, & iſte ab aliis, ultimus Emptor nullum habet fundamentum ambigendi, quin Mercator, à quo ipſe emit, juſtè vendiderit ; ergo non tenetur ultimus Emptor inquirere de juſtitia venditionis. At falſum eſt ant. Nam quamvis multiplex venditio paſſiva ejuſdem rei minuat injuſtitiæ ſuſpicionem, non tamen tollit, quotieſcumque habentur gravia motiva, hujuſmodi contractus injuſtè fieri : hoc autem in iis Regionibus contingit, in quibus ſervi injuſtiſſimè rapiuntur, & Nationes illas conſtat, non ratione, ſed iniquitate regi barbarica ; igitur, etſi interdum contingat hujuſmodi ſervos bona fide à Mercatoribus emi, non tamen tollit oppoſitam præſumptionem, & grave dubium, ſervos injuſtè à Mercatoribus vendi, ac proinde eadem mala fide emi ; & propterea ſtante dubio, aut à contractu abſtinendum eſt, aut diligentia ſufficiens adhibenda, ut veritas inveniatur.

690. Opponitur II. Hujuſmodi diligentiam eſſe moraliter impoſſibilem, & fieri Mercatoribus injuriam, ſi fiat, quaſi ipſi merces ſuas mala fide aquiſitas diſpergant.

691. At facile reſpondetur, moralem, &

prudentem diligentiam minimè impoſſibilem eſſe: de hac loquimur in præſenti, ſive dubium antecedat contractum, ſivè ſubſequatur. Si ante contractum inſurrexerit, nec valeat deponere, ab eo debet Mercator abſtinere; ſi verò poſt ipſum, nec adhuc validitas, ac rectitudo contractus fuerit comperta, vel inveniri ſit impoſſibilis, poteſt ipſum ſervum retinere, eo quia melior eſt conditio poſſidentis. Si autem emerit, dubio adhuc perſeverante, nec ullam adhibuerit diligentiam pro veritate aſſequenda, tunc, quia poſſeſſor eſt malæ fidei, debet ſervum reſtituere Venditori, atque ab ipſo pretium repetere: adhibita verò diligentia congrua, nec veritate inventa, medietatem pretii, ſervo reſtituto, poteſt repetere juxta dubii menſuram, uti ſtatuit Bonac. de reſt. in Gen. Diſp. 1. Quæſt. 2. Punc. 2. Propoſ. 1. & 2. Neque ullo pacto Venditores de injuria conqueri poſſunt, cum hujuſmodi ſervorum reſtitutio fieri ſolummodò debeat, quoties dubium grave, atque rationabile inſurrexerit, uti etiam inter Catholicos exurgit de re aliqua reſtituenda, de qua ambigitur, an ſit à fure accepta.

QUÆSTIO XXII.

An Miſſionarius Principi Ethnico acceptiſſimus arcana ſibi ab eodem patefacta licitè poſſit reticere, etiamſi ex eorum revelatione ingens Chriſtianæ Reipublicæ utilitas reſultaret?

692. RESp. Non poſſe licitè revelare. Ducor. Quia numquam jus unius violare fas eſt, ut commodum alteri accedat: non enim ſunt facienda mala, ut veniant bona; Miſſionarius autem ille violaret jus ſecreti, quod

Prin-

Principi revelanti debet, rigidiſſimè cuſtodiendi; ergo illic tè revelaret ſecretum, etiamſi in utilitatem Reipublicæ Chriſtianæ redundaret.

693. Dantur quidem nonnulli caſus, quo revelatio ſecreti naturalis licita eſt. I. Si cuſtodia ſecreti cadat in Reipublicæ detrimentum. II. Quando redundat cuſtodia ſecreti in damnum illius, qui ſecretum commiſit. III. Si ipſimet revelanti cuſtodia damnum grave ſit allatura, ex D. Thom. 2.2. Quæſt. 70. art. 1. Navar. cap. 18. Manual. Leſſ. de Juſt. & Jur. Lib. 2. Cap. 12. Dub. 11. In caſu autem præſenti nulla ex his conditionibus habetur, cum ſola ſpectetur Chriſtianæ Reipublicæ utilitas, nulla verò ejuſdem pernicies ex taciturnitate immineat.

694. Objicitur quidem, utilitatem Reipublicæ Chriſtianæ præferendam eſſe damno Principis Ethnici, cujus ſecretum revelatur; ergo tenetur Miſſionarius ejus ſecretum detegere: at reſpondetur, utilitatem Reipublicæ Chriſtianę quærendam quidem eſſe, at ſine Tertii injuria: detegendo autem ſecretum Principis Infidelis, injuria ipſi fit maxima: ſecus dicendum eſſet, ſi detentio ſecreti in damnum graviſſimum Reipublicæ Chriſtianæ redundaret, tunc enim licitum eſſet revelare, quia damnum proprium præferri debet alieno detrimento.

695. Cæterum inferretur magna Reipublicæ Chriſtianæ pernicies, ſi à Miſſionario ſecretum Principis Ethnici revelaretur, dum ejuſdem Miniſtri, qui probi cenſebantur, fidei fractores, & amicitiæ violatores inveniuntur; & propterea omninò à Regno, & quidem opprobrioſè pellerentur, cum inſigni Religionis Orthodoxæ ignominia.

QUÆSTIO XXIII.

An Catholicus inter Infideles victitans pro machinatione adverſus Principem Ethnicum molita captus, ac jurejurando adactus, teneatur etiam cum periculo vitæ, aliorumque malorum crimen fateri?

696. RESP. Poſſe quidem licitè Chriſtifidelem in tali caſu tacere delictum, de quo imputatur, omnes cruciatus tolerando; non poſſe tamen, ſtante Juramento, denegare ſe feciſſe, ſi juridicè conſtet.

697. Prima Pars oſtenditur. Nam Leges, & Præcepta humana, niſi circumſtantia aliqua ſpecialis militet, in conſcientia non obſtringunt cum vitæ propriæ diſcrimine, aut Reipublicæ damno, ut ex S. Th. 2. 2. Quæſt. 104. art. 5. elicitur, & ſequuntur Doct. apud Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 12. Quæſt. 5. art. 2. at in caſu noſtro præceptum de crimine revelando eſt humanum, & quidem Principis Ethnici; ſi verò crimen reveletur, mors imminet acerbiſſima, damnum grave Chriſtianæ Reipublicæ infertur, dum exercitium omne Religionis Orthodoxæ vetabitur, expellentur Evangelici Miniſtri, ingreſſu eorum omninò præcluſo; ergo minimè tenetur crimen fateri.

698. Deinde, ut teneatur quis fateri crimen, conſtare ſibi debet, legitimè procedi: at de Judice Ethnico non conſtat legitimè procedi, cum præſumptio potiùs militet in oppoſitum adverſus Chriſtianos; ergo non tenetur Chriſtifidelis eidem obtemperare, fatendo delictum.

699. Nec tenetur Judici Ethnico credere aſſe-

aſſerenti, ſe juridicè procedere, eum adverſus eum militet oppoſita præſumptio, quæ non urget in Judice Fideli; adeoque nec parere ſub peccato compellitur.

700. Secunda quoque Pars ſuadetur. Nam perjurium numquam licitum eſt, primæ quippe Tabulæ adverſatur: at, ſtante ſemiplena probatione ſibi nota, denegans delictum perjurium committit, deneg t quippe veritatem, non ſolum ſibi, ſed etiam in judicio conſtantem; ergo peccat graviter ita denegando.

701. Dixi autem: *Si juridicè conſtet*. Nam niſi hoc præcedat, & ſibi notum ſit præcedere, delictum adhuc occultum eſt, ſaltem in Rei opinione; tunc autem negando, nec mentitur, nec perjurus eſt, ex Doct. Subtil. 4. Diſt. 15. Quæſt. 4. reſpondet quippe Judici de jure interroganti, qui interrogat Reum de crimine, quod prodire in judicium poteſt: hoc verò non ſit, niſi crimen ſit ſaltem ſemiplenè probatum; ergo nec mentitur, neque utitur reſtrictione mentali; adeoque agit licitè, eo modo, quo Confeſſarius juridicè denegat ſe ſcire, quod in Confeſſione audivit.

702. Nec officit, quod adverſus primam Partem objicitur, legitimæ Poteſtati obtemperari oportere: Ethnicus autem Judex eſt legitima Poteſtas; ergo &c. Quamvis enim legitimè jubeat, urgente tamen humano tantum præcepto, parere non tenetur Chriſtifidelis cum ſui extrema pernicie, quo caſu nec Judici Fideli obedire neceſſario debere compertum eſt, eoquia præcepta purè humana cum tanto incommodo minimè obſtringunt.

703. Minùs urget, quod adverſus ſecundam Partem opponi poteſt, non teneri Reum veritatem fateri, quotieſcumque ex Confeſſio-

 ne

ne imminet mors, confiſcatio bonorum, aut perpetua infamia, etſi delictum juridicè ſaltem ſemiplenè conſtet, uti plures, nedum ex Scoti Diſcipulis, verum etiam ex alienis, tenent apud Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 6. Quæſt. 2. art. 3.; ergo Chriſtifidelis non tenetur à Judice Ethnico interrogatus de verò delicto veritatem fateri, ſi gravia ſupplicia imminentia formidet.

704. Reſp. Aliud eſſe non fateri delictum ſuſpendendo reſponſionem, aliud crimen negando cum Juramento, quod revera commiſit. Concedo quidem poſſe non reſpondere, cum in tali caſu ad reſponſionem minimè teneatur, ſi tormenta velit, & poſſit ſuſtineri: non tamen negare poteſt delictum quod revera commiſit, & ſemiplenè ſaltem probatur. Objectio probat primum, quod concedimus, non verò ſecundum.

705. Petes, An hujuſmodi Chriſtifidelis teneatur reſponſionem denegare, etſi gravia tormenta ſubiturus?

706. Reſp. Si vires ſuppetant, teneri, quoties revelatio delicti in damnum publicum Religionis reſultet; eoquia tormenta, quæ debet ſuſtinere, privatum incommodum eſt, infamia verò, aut aliud damnum, quod ex confeſſione Religioni Orthodoxæ reſultaret, mala ſunt publica, privatis malis præferenda: ſi autem iſta non ſequantur, poteſt crimen fateri, etſi ex confeſſione criminis ejuſdem Rei cædes ſit ſecutura, quam in pœnam delicti poteſt voluntariè amplecti.

QUÆ-

QUÆSTIO XXIV.

An Mercatores Europei poſſint licitè Orientalibus merces nullius pretii vendere, pretioſiſſimis ab iiſdem acceptis?

707. RESp. Poſſe. Ducor. Quia nulla committitur injuſtitia recipiendo pretium majus, quam mereatur res vendita, ſi Emptor ſponte præbuerit citra dolum, atque fraudem ullam; ſicuti enim poteſt donare, ita dare poteſt pretium majus, quam res vendita mereatur: at Infideles Indi ſponte præbent gemmas pretioſiſſimas, quibus abundant, pro rebus viliſſimis, quas præbent Europei, eiſdem acceptiſſimas, quibus carent; ergo poſſunt illas abſque ulla umbra peccati accipere.

708. Ulterius valor mercium creſcit, & decreſcit ſingularitate, paucitate, æſtimatione, periculis in translatione, & aliis hujuſmodi circumſtantiis, juxta communem Doctorum ſententiam: at merces ab Europeis ad Indos delatæ apud eos ſingulares ſunt, pauciſſimæ, magniſque nedum rei familiaris, ſed etiam vitæ ipſius periculis transferuntur: gemmæ verò, uniones, aurum, & argentum apud eos nullius ſunt æſtimationis, aut modicæ ob nimiam ipſarum copiam; ergo pretium ipſarum poteſt eſſe viliſſimum, maximum verò rerum, quas afferunt Europei; ipſæ quippe eis placent, & deſunt; ergo nulla in commutatione committitur injuſtia.

709. Argumentum in oppoſitum, quod nimirum nulla ſit proportio inter merces, quas afferunt Europei, cum divitiis, quas Indi porrigunt, nihil concludit; cum revera ſit propor-

tio inter ſarcinulas Europeorum, & gemmas Indorum, non quidem intrinſeca, ſed extrinſeca, ratione circumſtantiarum, quas attulimus; & hoc videmus etiam inter nos, cum interdum res viliſſima in ſe ſummo diſtrahatur pretio, quia vel Emptori, vel Venditori cariſſima.

TRACTATUS XII.

De dotibus ad Miſſionarios pertinentibus; deque ab ipſis ante, & poſt ingreſſum Miſſionis peragendis uſque in finem.

1. UT Miſſionarii Apoſtolici rectè ſuo munere ſungantur, variis, & quidem inſignibus eſſe debent prærogativis ornati. Plura quoque, priuſquam Miſſionem aggrediantur, præmitti ab ipſis opus eſt: plura, dum in eadem permanent, agere debent, ut fructum ex laboribus, quos ſuſtinent, in horrea Domini valeant referre. Alia verò requiruntur, ut Miſſiones ab iiſdem magnis laboribus, ac ærumnis plantatæ in ſua integritate conſerventur. De his omnibus ſuccinctè, atque perſpicuè in hoc ultimo Tractatu diſſerendum eſt.

CAPUT I.

De Dotibus Miſſionariorum.

2. NE Miniſtri Apoſtolici arduum opus temerè ſuſcipiant, Evangelium Populis annuntiandi, eximiis prærogativis fulgere debent, quibus deſtituti fruſtra in Vinea Domini deſudarent, ac temeritatis notam incurrerent, arenam difficillimam ingredientes, iis, quæ ad eam ſubeundam neceſſaria ſunt, requiſitis penitus expertes. Hinc Dotes præcipuas, quæ ipſos omnino exornare debent, ut Familiam

Domini eis commiſſam fideliter, & prudenter regere queant, in hoc Capite per Sectiones varias diviſo breviter perſtringemus.

SECTIO PRIMA

Qualis eſſe debeat Doctrina Miſſionariorum?

3. PRima Miniſtrorum Evangelii prærogativa eſt Doctrina, qua magnopere ipſi fulgere debent. Cum enim Populos Evangelicis Dogmatibus, ſive credibilia, ſive agibilia ſpectemus, erudire debeant, ipſoſque præceptis Divinæ Legis, ut Vitam æternam aſſequantur, imbuere, id profectò minimè præſtabunt, niſi ipſimet eorum, quæ docuerint, aut docere tenentur, inſignem ſibi ipſis notitiam comparaverint; hinc adeo ſeverè Sacri Canones Epiſcopis, & Animarum cæteris Curatoribus, quoniam in Eccleſia Magiſterium exercent, quod ſine Doctrina præſtari nequit, imponunt, ut literas calleant, ut Valen. II. Synod. cap. 7. Aquiſgranen. III. Par. 1. cap. 3. Iis verò, qui literis carent, Dignitatem, quam receperunt, adimunt, de Elect. Cap. *Qualiter poſt*, de Ætate, & Qualit. Ordinan. cap. Final.

4. Accedit, Evangelicis Miniſtris curam incumbere Neophitorum dubia reſolvendi, res difficiliores explicandi, panemque frangendi Parvulis, & eorùm, qui traditæ ab ipſis Doctrinæ contradicunt, argumenta retundendi, atque difficultates ab ipſis propoſitas omninò diſſolvendi, & obſtruendi os loquentium iniqua; hinc Apoſtolus ad Titum ſcribens, eumque qualis eſſe debeat Doctor Populorum, quales utique Miſſionarii Apoſtolici cenſendi ſunt, inſtruens cap. 1. cum mores Paſtoribus con-

grueu-

gruentes expreſſiſſet, de Doctrina ſermonem, faciens, ſubdit v. 9. *Amplectentem eum, qui ſecundum Doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*. Si enim Fideles quicunque juxta 1. Petri 3. 15. debent eſſe *parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe*; quanto magis id Doctoribus, & Magiſtris Fidei competit, quibus dixit Chriſtus Dominus Matth. 5. 13. *Vos eſtis ſal Terræ*, & v. 14. *Vos eſtis lux Mundi*.

5. Quo circa tametſi quoque indocti ad prędicationem Evangelii interdum acceſſerint, Dei extraordinariæ diſpoſitioni tribuendum eſt, qũi linguas quoque infantium facit eſſe diſertas, & hoc ipſo, quod Spiritus Dei eos pervadit, atque eligit ad miniſterium, infundit etiam, neceſſariam eis Doctrinam, qua nedum Sacra Dogmata rectè percipiant, verum etiam Populos citra diſcrimen erroris docere valeant, dono eis Sapientiæ, atque Scientiæ uberius communicato, ut viſum eſt in Apoſtolis, qui priuſquam opus Evangelii prædicandi ſuſciperent, die Pentecoſtes, Spiritu Sancto ſub ignitarum ſpecie linguarum apparente, plenitudinem omnis Doctrinæ acceperunt, qui propterea: *Variis linguis loquebantur magnalia Dei, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*. Act. 2. 4. Idcircò autem Apoſtoli ignobiles, & indocti electi ſunt, ut Divina in eis Sapientia, atque Potentia eluceret, nec Fidei Orthodoxæ plantatio, atque diffuſio viribus humanis, ſed Divinæ unicè Poteſtati, & Omnipotenti Virtuti tribueretur.

6. Privilegium autem hoc ſpondere ſibi Miſſionarii nequaquam poſſunt, cum Doctrinam,

habeant à Chriſto, Apoſtoliſque hauſtam, quos docturum pollicitus fuit Salvator omnem Veritatem: & idcircò ſtudiis occuratam debent operam impendere, ne Deum tentare videantur, & ipſos Dogmata annuntiare opus ſit vetera, Eccleſiæque jam revelata, non autem nova, uti Apoſtoli tradiderunt.

7. Si quis verò à me ſciſcitetur, quonam Doctrinæ genere Miſſionarios Apoſtolicos eſſe inſtructos oporteat?

8. Reſpondetur: Utilitate ſpectata, nullum genus eruditionis Apoſtolicos Concionatores dedecere: imò valdè proficuum eſſe; etiamſi ſpes Converſionis Infidelium, & Hæreticorum minimè in ea ſit collocanda, ſed in ipſomet Verbo Dei, quod gladius eſt ex utraque parte acutus: hinc novimus, Sanctiſſimos Eccleſiæ Doctores omnium pene Facultatum præſtantiâ floruiſſe nedum Sacrarum, verum etiam ſæcularium: quamvis enim propoſitioni, atque propagationi Evangelii nihil per ſe, & immediatè conducat: mediatè tamen, & remotè magnopere prodeſt.

9. I. Enim opinio magna Miniſtris Apoſtolicis conciliatur, ob quam longè faciliùs apud Magnates ipſis haud modica injunctos neceſſitudine introducuntur, atque audiuntur, ac facultas impetratur Evangelii annuntiandi; quod alio pacto fortaſſe neutiquam impetrarent.

10. II. Miſſionarii Apoſtolici, quos variis, atque egregiis vident Ethnici prærogativis ornatos, viles Homines, & ignari minimè exiſtimantur; ac proindè neque falſa, aut inanis Religio, ob cujus diffuſionem Viri adeo graves, atque docti, totque diſciplinis locupletes, laboribus, atque periculis adeo frequentibus ſe animo lætanti exponunt.

11. III.

11. III. Miſſionarii Apoſtolici variis inſtructi diſciplinis, etiam ſæcularibus, dum profana in familiari ſermone permiſcent, aut aquiſitis hiſce, dum neceſſitas urget, facultatibus utuntur, inſtillant, ſenſim Divina Myſteria, eorumque duritiem emolliunt, odiumque mitigant Infidelium, ut, Orthodoxæ Religionis Dogmatibus averſione ſublata, ipſam minimè faſtidiant audire, & ſic pedetentim eam cum eximia Animarum utilitate amplecti.

12. Hac moti ratione Viri doctiſſimi Chriſti cultores in Primitiva Eccleſia cum Philoſophiæ, aliarumque cujuſcumque generis Scientiarum laude florerent, eas Gentilium quoque Filios docere nequaquam veriti ſunt; hoc enim pacto pleroſque ex Infidelibus obtentu Doctrinæ, quam tradebant, Jeſu Chriſto pepererunt. Ita ex Euſeb. de Prępar. Evangel. lib. 11., & Clem. Alexan. lib. 6. ſtrom. Baron. referente ad Annum Chriſti 235.

13. IV. Hoc pacto Miſſionarii Apoſtolici nedum victum ſibi, quin Infidelibus, aut Hæreticis moleſti ſint, comparare queunt, uti feciſſe D. Paulum habemus Act. 20. 34., verum etiam ſæviente adverſus ipſos, aut Fideles perſecutione, declinare faciliùs poſſunt perſecutorum impetum, atque inſidias evadere; aut ejecti à Regno traducere alibi dies ſuos uſquę dum procellæ furor tepeſcat, fiatque in Mari tranquillitas. Hoc autem adeo verum eſt, ut Sac. Congreg. de Propag. Fide voluerit, Miſſionarios ſuos ad Regna deſtinatos Ethnicorum artem aliquam addiſcere, Medicinæ, Chirurgiæ, aut alterius rationis, qua nedum inter Infideles aditum ſibi aperire; verum etiam minori Neophitorum incommodo vitam poſſint tranſigere.

14. Cæ-

14. Cæterum, etſi divitiæ intellectuales Miniſtris Apoſtolicis magnopere proſint, non tamen in his ſpes firma figenda eſt; ſed unicè Deo adhærendum, ad quem ſolummodò pertinet de lapidibus Filios Abrahæ ſuſcitare.

15. Doctrina igitur, atque eruditio Miſſionariis Apoſtolicis utiliſſima eſt.

16. Difficultas oritur, quænam ipſis ſit præcisè neceſſaria? Cui quæſito reſpondemus: aut Miſſionarii Apoſtolici ad Hæreticos diriguntur, ut Catholicos inter eos verſantes in Religione Orthodoxa, quantum fieri poteſt, immaculatos, atque conſtantes tueantur, hæreſimque, prout illis Deus largiri dignabitur, exſcindant: aut inter Ethnicos mittuntur, ut Chriſtifideles, quos ibi morari noverint, Fidem Orthodoxam ſervent incolumem, eamque, ſi opportunitas acceſſerit, inter Ethnicos dilatare contendant.

17. Si primum contingat, ante omnia, in quo errores, quibus Hæretici involvuntur, potiſſimè conſiſtant, indagare debent, ac funditùs introſpicere, ne falſo Hoſti ſibi propoſito inanes, atque ridendos ictus cum Orthodoxæ Religionis contemptu infligant. Scimus quippe, Hæreticis eſſe conſuetum abſcondere venenum, quod intus celant, atque ſub fuco veræ Doctrinæ decipere incautos. Cum verò Controverſias omnes, quibus à Catholicis Hæretici ſcinduntur, optimè calluerint, ad infringendos errores notitia magna Scripturarum opus eſt, qua, ut Simplices involvant, Hæretici abutuntur: hinc adagium ortum eſt, *Scripturam eſſe librum Hæreticorum*.

18. Hiſtoriam quoque Eccleſiaſticam nedum quoad Canones ſed etiam quoad rerum ſeriem perſpectam habere debent, per quam mens

Eccle-

Eccleſiæ non tàm modernæ, verum etiam antiquæ nobis innoteſcit, quam profectò Catholicam regulam ſequi conſentaneum eſt.

19. Inſuper in Doctrina Patrum Miſſionarios opus eſt eſſe verſatos, ex quibus Eccleſiæ ſenſus eruitur. Si enim unanimes in explicatione Textus Divinæ Scripturæ, vel in aliquo Dogmate retinendo extiterint, veluti de Fide tenendum eſt, ac nimis temere repelleretur, cum tempus controverſiæ inter Hæreticos modernos, & Catholicos longè præceſſerint. Videatur Melchior Canus de Locis Theol. Loc. 8. Hinc in Oecumenicis Conciliis antiquæ Eccleſiæ Patres vetuſtiores adducebantur, veluti Teſtes incorrupti Veritatis, ut in Nicæno I., Epheſino I., Chalcedonenſi, Synodo VI. videri poteſt.

20. Demum Scholaſticæ Theologiæ, quam mirum in modum Hæretici oderunt, peritiam aliquam Miſſionarios decet habere, ſubtiliſſimis quippe diſtinctionibus, & acuto nimis genere differendi errores Hæreticorum in aperto ponuntur, eorum pudenda nudantur, quæ ſubdoli, ac verſipelles Hæretici ſub tegumento æquivocationum nituntur abſcondere; hinc turpitudo Hæreſis ſeipſam prodit, quam juxta Hieronymum noviſſe, confutaſſe eſt. Eam quoque luxuriantem dicendi procacitatem, quo vagantur extra propoſitum, coercet regulis artis Syllogiſticæ, ita ut in acie perſiſtere compellantur, nec ad aliena permittantur dilabi: ex quo ſtatim apparet imbecillitas eorum, quæ ab ipſis objiciuntur; robur autem Argumentorum, quibus à Catholicis premuntur, omnibus patet, nec aliud habent effugium, niſi contumelias in Adverſarios jactando, ut patet ex diſputatione, quam cum Donatiſtis Magnus Auguſtinus habuit coram Marcellino, anno Chriſti

411.

411., apud Baronium ad eumdem annum.

21. Denique Diſciplinam Moralem ſaltem mediocriter callere debent Apoſtolici Præcones, qua dirigere eorum Catholicorum conſcientias poſſint, qui vitam ſuam inter Hæreticos ducere compelluntur, ne ſive ad dexteram, ſive ad ſiniſtram declinantes à ſemita ſalutis æternæ turpiter aberrent.

22. Si verò Miſſionarii Apoſtolici Ethnicorum converſioni vacent, & Catholicorum ibidem victitantium conſervationem præ oculis habeant, ſequentia pro debita muneris executione ſint ipſis explorata.

23. I. Quantum ad Catholicorum conſcientiam dirigendam, eorumque Fidei integritatem conſervandam, Theologiæ Moralis præcepta callere tenentur, & rectam Fidei Doctrinam, quæ inter Infideles plerumque ſilveſcit, ſive quoad agenda, ſive quoad credenda.

24. II. Medullam Chriſtianæ Religionis profundè perſpectam habeant, ita ut nedum materiale Symboli noverint, ſed latentia quoque ſub ejuſdem cortice Myſteria penetrent, ut Fidem Orthodoxam abſque diſcrimine erroris Diſcipulos doceant, & invictè ab obtrectatorum inſectationibus tueantur.

25. III. A Miniſtris Apoſtolicis nedum doctrinam propriæ Religionis, verum etiam alienæ, quam impugnare intendunt, penetrari profundè opus eſt: quamquam enim annuntiari Evangelium poſſit, quin ullo modo de fàlſitate Religionis, quæ impugnanda eſt, agatur, uti feciſſe Apoſtolos, & Apoſtolicos Viros, qui breviſſimo tempore per Univerſum Orbem Evangelium diffuderunt, veriſimile apparet; nihilominus, quia Infidelium varia eſt indoles, alii per ſimplicem inſtructionem, alii per ſchola-

ſti-

ſticam concertationem ad Fidem convertuntur; idcircò medullam Ethnicæ Doctrinæ penetrare funditùs opus eſt, ſive moralia, ſive credenda ſpectentur: nam agnita eorum abſurditate, cognita verò rationabilitate Dogmatum Catholicorum, fortaſſe, longeque faciliùs Ethnici Fidem Orthodoxam amplectentur, uti de Platonicis apud Clem. Alexan. lib. 8. Strom. legitur ad Chriſtum converſis, eoquia hujus Dogmata Magiſtri Platonis doctrinæ congruere videbantur.

26. IV. Tandem Traditiones, & Ritus Eccleſiæ Romanæ Miniſtris Apoſtolicis innoteſcere neceſſarium eſt, ſive in miniſtrandis Sacramentis, ſive in cæteris peragendis; cum enim Eccleſiæ novæ ſint à fundamentis ædificandæ, quemadmodum eadem Dogmata, ita iidem Ritus ſunt Neophitis tradendi, ut Proles quoad omnia Matri ſuæ aſſimiletur Eccleſiæ Romanæ eorumdem fideliſſimæ Cuſtodi, ex Julio I. Epiſt. 3. cap. 35.

27. Hæretici autem ad Orientalem pertinentes Eccleſiam exactè docendi ſunt, ut omnes illos Ritus abjiciant, quos eadem, quæ illos Chriſto peperit, condemnat, nec recipit Eccleſia, aut Romana non approbat omnium Magiſtra Eccleſiarum. Diſt. 12. Cap. *Non decet*.

28. Si verò ſint Occidentales, quorum plures ob varia negotia ibi diverſantur, abjectis pravis doctrinis Fidem Orthodoxam inficientibus, Ritus quoque reaſſumere ſunt compellendi, quos ſervat Occidentalis Eccleſia, præcipuè Romana, cujus Cæremonias à Filiis ſuis ſervari oportere, ſcripſit Gelaſ. Epiſt. 9. ut Hæreticis occurratur, qui eos abſcindere, novitatemque, quantum eis licet, inducere conantur.

29. Hæc

29. Hæc ſunt præcipua, quæ à Miniſtris Evangelicis, ut munere ſuo dignè fungantur, ignorari nequaquam debent, quibus neglectis, parum, aut nihil in Vinea Domini laborantes proficient.

SECTIO SECUNDA

Qua Morum probitate opus ſit Miſſionarios fulgere?

30. INnocentia Morum non minùs quam Doctrinæ ſplendere Apoſtolici Præcones indigent, ut in agro Dominico fructus ferant in tempore ſuo: Doctrina enim intellectum pulſat, Innocentia voluntatem, imò intellectum ipſum convincit; oſtendit quippe factibile, quod effectum inſpicitur.

31. Ratio autem eſt, quia Lex Evangelica, cum effrænes Hominis cupiditates, pravaque deſideria coerceat, carni, & ſanguini, repugnat, eamque propterea Infideles, etſi commendent ut bonam, veluti impoſſibilem obſervari traducunt; quam erroneam opinionem Apoſtolici Miſſionarii confirmarent, niſi probitate inſigni Legem Evangelicam, quam annunciant, facto ipſo exactè cuſtodientes obſervabilem comprobarent.

32. Ratio autem eſt: nam aut Hæretici ad meliorem frugem reducendi ſunt, aut Ethnici ad Fidem Chriſti convertendi.

33. Si primum fieri concedatur, niſi Mores in Apoſtolicis Miniſtris Doctrinæ congruant, Sanctitatem ſibi Hæretici arrogabunt, Sectamque propriam, quam veram Dei Eccleſiam arbitrantur, ægrè convincentur, ab iis poſſe reformari, quos adeo incorrectos, & humana ſapien-

pien-

pientes animadvertunt, nihilque continere in ſe, niſi æs ſonans, aut cymbalum tinniens; etſi autem in hoc magnopere fallantur, cum non ex Perſonis Fides, ſed ex Fide Perſonæ metiendæ ſint, juxta Tert. de Præſcrip. l. 1. c. 3. Hinc Hæretici ipſi ſpecie ſaltem tenus Morum probitatem oſtentare ſolent; negari tamen minimè poteſt, quin vera, non autem fucata vitæ Sanctitas in Evangelii Promulgatoribus robur magnum Dogmatibus addat; longèque faciliùs à Doctore Sancto, quam improbo, aut tepeſcente devios ad rectam Fidem converti: arbor enim mala, aut arida fructus non efficit, quos virens, & vegetans producere ſolet.

34. Si verò convertendi ad veram Religionem ſint Ethnici, profectò id præſtari difficulter poterit, niſi Præcones Apoſtolici Moribus ſint incorrupti. Quomodo enim ſuaderi eis poterit, Doctrinam, quæ proponitur, à Cœlo delapſam, Deumque ipſum Naturæ Dominum habere Authorem, cujus Promulgatores à cæteris hominibus minimè ſecernuntur ſplendore Virtutis? Illam proculdubio cenſebunt hominum purum inventum, cujus Doctores nihil, niſi humanitatem ſpirant: neque ipſius Dogmatibus plus venerationis aquirent, quam Opinionibus Philoſophorum; quos probe ſcimus non Divina, ſed humana ſolummodò docuiſſe.

35. Hinc novimus, Apoſtolos, Viroſque omnes Apoſtolicos, qui Ethnicorum reductione floruerunt, inſigni Sanctimoniæ laude nituiſſe, pluresque interdum ex Ethnicis, maximè politioris Nationis, ob Miſſionariorum exempla profeciſſe, quam ipſamet pura Evangelii prædicatione, uti Eccleſiæ geſta, & Regularium Ordinum Cronica demonſtrant.

36. Morum ergo Innocentia Miſſionariis Apoſtoli-

ſtolicis omnino neceſſaria eſt, ſive Hæreticis, ſive Ethnicis ad rectam ſemitam reducendis incumbant: hoc enim modo Chriſti Imitatores effecti, fructum haud modicum poterunt Animarum converſione ſe conſecuturos ſperare.

37. At oriri difficultas poteſt, quas præciſe Virtutes oſtendere præ cæteris debeant Evangelii Satores, ut cum majori Animarum lucro in Vinea Domini laborare valeant?

38. Reſp. Regulam in hoc generalem tradi non poſſe, cum Nationes inter ſe genio, indole, moribus, habitudine magnopere diſſideant: quod enim uni placet, magis alteri moleſtum eſſe poteſt, & è contra.

39. Cæterum in genere loquendo, illæ potiſſimum Virtutes ſunt oſtendendæ, quæ magis in Evangelio commendantur, illaque diligentiùs Vitia declinanda, quæ à Lege, quam annunciant, magis noſcuntur aliena. Nonnullas tamen hic, quibus ipſi magnopere fulgere debent, exponam.

40. I. Eſt immaculata Caſtitas, qua veluti Angeli Dei in Terris viventes, ipſoſmet carnales Viros rapiunt in ſui admirationem, Legemque putant cœleſtem, quam Viri adeo à voluptatibus carnis avulſi commendant. Hinc Apoſtoli ſtatim ac munus docendi Populos Evangelicam veritatem aſſumpſerunt, Mulieribus, quibus antea nupſerant, valedixerunt, ex Hieronymo Epiſt. 34. & lib. 1. adverſus Jovin. Eadem veſtigia omnes, qui Evangelium prædicarunt, ſecuti ſunt omni carnis voluptati abrenunciantes; & propterea Eunuchi à Gentilibus dicebantur, apud Baron. ad an. Chriſti 316. Caveant ergo Miſſionarii Apoſtolici nedum ab omni carnis lapſu, verum etiam ejuſdem vel leviſſima ſuſpicione: Infideles enim etſi Carnis voluptates in ſe

ament, ſtomachabundi tamen in iis abominantur, qui puritatem omnimodam, Angeliſque propinquam ſervare profitentur.

41. II. Eſt contemptus rerum temporalium, ac divitiarum, quas omnino negligere, ſolis ſempiternis, quæ ab ipſis ſperantur, & prædicantur, contenti, oſtendere debent. Si ſecus fecerint, ſatis evincent nullius pretii Viros eſſe, qui non zelo ſalutis Animarum æſtuantes, ſed magnitudine capti divitiarum ad eos acceſſerint. Animi, ac ſtatus ignobilis cenſebunt, quos putant uti Religione, ut ex egeſtatis emergant anguſtiis. Sacrilegos exiſtimabunt, quos Religione viderint abuti, veluti mercimonio ad opes ſibi majores comparandas, & mercatorum, non Animarum zelatorum famam aquirent. Ipſos quoque Infideles, & Hæreticos ſuſpicaces nimium efficient ſibi paventes, ne, dum Chriſtifideles evaſerint, omni prorſus re familiari deſtituantur in Operarios Apoſtolicos derivanda. Evangelium ipſum, ac Dei Legem contemptui habebunt, veluti humanum commentum, quæ cum divitias polliceatur immortales iis, qui temporalia deſpiciunt, ab ipſiſmet Magiſtris, & Promulgatoribus calcari animadverterent, auro, pecuniæ, gemmiſque, atque theſauris inhiantibus, non verò Animabus, Chriſto lucrandis unicè ſtudentibus. Itaque neceſſaria quidem ſumere debent Apoſtolici Miniſtri, ſed reſpuere ſuperflua, aurumque contemnere, quo, quinam homines revera ſint, probantur, ex Chilione apud Laert.

42. III. Eſt Concordia, atque perfecta inter Apoſtolicos Operarios Charitas, & Unio, quæ Nota eſt Chriſti Diſcipulorum, ex Joan. 13. 35. *In hoc cognoſcent Omnes, quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.*

Hæc

Hæc ſanè magnopere deturpatur, quoties inter eos, aut de Dogmate ipſo, aut de modo illud tradendi, aut aliis de rebus ſæpe dimicantes audiuntur, ut nullo pacto reduci in concordiam valeant: tunc enim Ethnici, & Hæretici arguunt, nihil in Religione, quam Miſſionarii annunciant, Divini eſſe poſſe, dum ipſa quoque controverſias in Præceptoribus ſuis adeo acres ardere patitur, quas in cæteris etiam Synagogis calore haud majori vigere conſpiciunt: nec eos putabunt profectò datos ſibi Magiſtros Fidei, qui non minus, quam ipſi circumferuntur omni vento doctrinæ.

43. Facillimè quoque ſuſpicabuntur, etſi Evangelium ipſum in ſe fortaſſe commendent, Miſſionarios non verè Chriſti Diſcipulos, atque Legatos exiſtere quibus nihil aliud inculcat, quam Pacem, Charitatem, Unionem, eoſque jubet ita Concordiæ glutine copulari oportere, uti ipſe cum Patre Unus eſt; quam animorum conjunctionem Chriſtus Diſcipulis à Patre precabatur Joan. 17. 11. *Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in Me, & Ego in Te*.. Denique fauſtum finem Evangelii prædicatio, aut propagatio, Miniſtris inter ſe diſſidentibus, habere non poteſt: Cæteris enim rebus Apoſtolicæ Miſſiones feliciores profectò non ſunt, quæ tamen, ut experientiâ ipſâ docemur, concordiâ parvæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur; hinc rectè Chriſtus Dominus Matth. 12. 25. *Omne Regnum diviſum contra ſe, deſolabitur: & omnis Civitas, vel Domus diviſa contra ſe, non ſtabit*.

44. Chriſti ergo Operarii Vineam ejuſdem cupientes excolere, divitemque fructibus efficere, uno ore, uno corde, unaque voce Opus Dei promovere ſatagant, nulloque pacto pa-

tian-

tiantur extraneos ob jurgia Miniſtrorum Verbum Dei blaſphemare.

45. Si verò identidem contingat, oriri difficultas, nec in eumdem ſenſum devenire Omnes poſſe; quodquidem etiam in Primitiva Eccleſia viſum eſt, Doctoribus de Legalium obſervantia diverſa opinantibus, Act. 15. 7., & Paulo à Barnaba de Joanne Marco ſecum ducendo deſſidente, eodem Capite. v. 37. Hoc tamen animorum diſſidium, quantum fas eſt, iis, quos erudiendos ſuſceperunt, ſatagant occultare: interim verò controverſia, quanto citiùs poteſt, ab immediato Præſule componatur, vel, ſi non poteſt, ad Primam D. Petri deferatur Sedem, cujus ultimatæ deciſioni juxta ſenſum communem Eccleſiæ etiam Primitivæ omninò ſtandum eſt.

46. Quæ autem hactenus adductæ ſunt maculæ Miniſtros Apoſtolicos inficientes, ab iis, qui inter Hæreticos verſantur, multò magis vitandæ ſunt: ſicuti enim ipſi Regulas Eccleſiæ minimè ignorant, ita majorem ſument offenſionem, quotieſcumque Apóſtolicos Operarios ab earum rectitudine devios animadvertent. Imò in eos figunt oculum, ut feſtucam inſpiciant, Correctoribus ſuis, atque Emendatoribus profectò ſtatim, ut viderint, objecturi.

47. Illi ergo, qui Hæreticis reducendis inſudant, abſtinentia à defectu quocumque longè cautior eſt neceſſaria; cum hoſtibus enim infenſiſſimis rem ſunt habituri, non purè extraneis, ſed intimis, & domeſticis, qui calcaneo ipſorum erunt ſemper infeſti; ac proinde cautiſſimè cum ipſis, & coram ipſis agendum eſt; ita ut eos pudeat Miſſionariis inſultare, cum nihil malum habeant dicere de ipſis, uti de Epiſcopis cupiebat Apoſtolus ad Titum 2. 8.

48. Por-

48. Porrò monendi ſunt ii, qui mittendis Apoſtolicis Operariis præſunt, ut Candidatos Miſſionum acutè introſpiciant, nec quoſquam petentes admittant. Quos enim agnoſcent homines rixoſos, turbulentos, litiumque amatores, diſcordiarum ſatores, ſine quibus ægrè vivere poſſunt, & opinionis propriæ nimium tenaces, qui probro ſibi ducunt aliorum obſequi ſententiæ: hos omnes omnino repellant. Hi enim eradicandis potiùs, quam erigendis, aut ſervandis Miſſionibus aptiores ſunt, utpote Diſciplinæ, Concordiæ, Obedientiæ, Humilitatis, ac Pacis impatientes, quæ tamen Eccleſiaſtici ædificii erigendi Baſes agnoſcuntur, nec citra ipſas ulla prædicationis Apoſtolicę fructificatio ſperari poteſt, experientia ipſa comprobante.

SECTIO TERTIA

Quænam Prudentia ſit Apoſtolicis Miſſionariis neceſſaria?

49. ALia prærogativa Miniſtris Apoſtolicis omninò neceſſaria eſt, nempe Prudentia, qua res omnes loco, tempore, ac opportunitate congrua diſponantur: quam quidem Diſcipulos ſuos, & in iis Evangelicæ Veritatis Promulgatores erudiens Chriſtus Dominus docuit eſſe neceſſariam Matth. 10. 16. *Eſtote ergo prudentes, ſicut Serpentes, & ſimplices, ſicut Columbæ.* Cum enim in medio Nationis pravæ verſari eos oporteat, niſi prudenter ſe gerant, incaſſum utique laborabunt.

50. I. Enim cum hominibus diverſarum Regionum, habitudinum, morum, atque linguarum agendum eſt, ut eos Chriſto lucrifaciant,

ciant, cum quibus neque eodem modo, nec tempore, nec rerum ſtatu tractandum, ſed perpendi circumſtantias oportet, ut finem optatum negotiatio Evangelica fauſtè ſortiatur: hoc autem citra Prudentiam fieri nequit omnia hæc diligentiſſimè proſpiciens: ſicuti enim Deus ad ſe homines in diverſis, & interdum oppoſitis circumſtantiis vocare dignatur, ita ii, qui vocantur, diverſimodè, atque in variis rerum ſtatibus ad converſionem ſunt diſpoſiti. Multoties contigit, & etiam nunc contingit, præpoſtero zelo Dei Opus everti, quod certè, ſi prudenter inchoatum, ac proſecutum fuiſſet, optimi profectò finis coronam obtinuiſſet; aviditate enim nimia lucrandi paucos, opportunitate minimè expectata, plurimi amittuntur, quos, circumſtantiis prudenter perſpectis, attentiſque, utique Chriſto fuiſſent aquiſiti, nec adverſus Chriſtifideles perſecutiones emerſiſſent cum magna Fidei jactura: hinc Miles, qui intempeſtivo martyrii zelo coronam recuſavit à Severo Imperatore Idololatra oblatam, nec illicitam, graviter à Chriſtifidelibus, quod imprudenter Orthodoxam Religionem diſcrimini perſecutionis cruentæ objeciſſet, fuit reprehenſus, teſte Tertul. de Coron. Milit. Cap. I.

51. II. Inter Infideles, aut Hæreticos Miſſionarii degentes, impiorum Hominum inſidiis expoſiti ſunt, qui zizania conantur ſerere in medio tritici, aut Evangelicæ Prædicationis nituntur curſum impedire, Vitæ, famæque Dei Miniſtrorum perpetuo inſidiantes. Magna igitur Miſſionarii Apoſtolici Prudentia indigent, atque circumſpectione, ne importunè, citraque fructum ullum hoſtibus ſe objiciant ſæviſſimè diſcerpendos: propterea Apoſtolos monuit Chriſtus Dominus Matth. 10. 17. ut ab

hominibus caverent, quia nimirum innumeræ in Hæreticis, Ethnicisque ſunt artes nocendi, quas Prudentia cavet, aut ſapienter diſpergit.

52. Attamen animadvertere Miſſionarios cupio, Prudentiam hanc ipſis adeo commendatam non carnalem eſſe debere, quæ ſpiritum occidit; ſed juxta Charitatis præcepta agentem, quæ præſcribit, rebus noſtris privatis publicam Fidei, aut Reipublicæ utilitatem præferri oportere: quo pacto Viri Sancti Vitam, propriam, famam, rem familiarem exultantes profuderunt; quæ tamen nequaquam impedit, quin Miſſionarii gnavos ſe, atque induſtrios, & ſolertes exhibeant: alioquin ægrè impiorum dolos evadere, vitam ſuſtentare, diuque ſubſiſtere poterunt Hoſtibus undequaque circumventi.

53. Si verò tales revera ſint, ut eos optamus, interrogationes captioſas Infidelium eludent, inſidias declinabunt; neceſſaria ſibi citra Benefactorum moleſtiam parabunt; opportunitatem dilatandæ Religionis acutè perſpicient, provideque amplectentur; negotia Fidei peragent ea celeritate, quam neceſſitas poſtulat; nec quidquam ob ſegnitiem, aut ignaviam, quod Evangelii propagationi, aut Animarum ſaluti conducere videatur, omittent, optimè gnari, rerum magnarum Solertiam eſſe parentem. Hinc Apoſtoli, & Viri Apoſtolici Ezech. 1. 14. Animalibus illis myſticis aſſimilantur, quæ *ibant, atque revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis*, ut explicat Alapide in Ezech. ſuper hunc locum.

SE-

SECTIO QUARTA

Qua Animi Firmitate Miſſionarii indigeant?

54. Miſſionarios Animo fortes, atque intrepidos, erectoſque eſſe oportere plura perſuadent.

55. I. Quia Miniſterium Apoſtolicum ab ipſis exigit, ut Populis, Nationibus, Regibus, ac Principibus Chriſtum annuntient, neque Evangelium erubeſcant, aut timeant Nomen Domini confiteri, quocumque in oppoſitum terrore concutiente: hoc autem minimè poſſunt efficere homines timidi, atque Animi abjecti, ad frondis arboreæ motum trepidantes.

56. II. Miſſionarii Apoſtolici, carceribus, vulneribus, cruciatibus, imò neci ipſi objicere ſeipſos debent, ut Chriſti Doctrinam tueantur, eamque in cordibus Infidelium, Hæreticorumque diffundant; aut ſi corrupta ſit, reſtaurent. Hoc enim munus ipſorum eſt, juxta Hilarium Hom. in Matth. 4. quod quidem facere nequaquam poſſunt, niſi metum omnem, atque pavorem excutiant; propterea eos Chriſtus admonuit Matth. 10. 17. *Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos*: ut autem Animum erigerent, ac roborarent, eis pollicetur auxilium ſuum, Lucæ 21. 15. cum ait: *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes Adverſarii veſtri*.

57. III. Miſſionarii debent ex munere ſuo corripere errantes, reprehendere delicta Populorum, ac Principum, quorum reductioni ad meliorem frugem unicè incumbunt: hoc au-

tem efficere nequeunt Viri meticuloſi, qui vultum Potentis inſpicere formidant, nec ipſi audent palam reſiſtere, uti fecit Paulus ſtrenuè in Concilio reſpondens Pontifici Hebræorum, appellans eum parietem dealbatum, Act. 23. 3. & Petrus Act. 4. 19. eidem publicè, atque in faciem ſe opponens. Itaque honorem Miſſionarii Apoſtolici nequaquam meretur hac Animi fortitudine deſtitutus, qua muniti Apoſtoli, Virique Apoſtolici Tyrannorum vultum furibundum, ac minis, oculorumque torvitate horrificum minimè formidarunt; ac proinde inſignem de ipſis triumphum retulerunt.

58. Homines igitur adeo formidoloſi à munere Miſſionis omninò ſunt repellendi, ne pavorem ſuum in Socios quoque diffundant; uti hujus generis viros Judas Machabæus domum ſuam redire juſſit, cum hoſtibus congreſſurus, Machab. 3. 56.

SECTIO QUINTA

Quomodo Miſſionarii tolerare debeant injurias, ac perſecutiones?

59. MIſſionarii Apoſtolici nedum fortes ſe, atque magnanimos, ut impietati, & infidelitati adverſentur, oſtendere compelluntur, verum etiam in contumeliis, & perpeſſionibus, hoſtiumque inſectationibus immotos, atque imperturbabiles, cum Virtutum omnium ſpecimen Populis, quos erudiunt, oporteat exhibere.

60. I. Quia Chriſtus Dominus, Miſſionariorum exemplar, perſecutionibus, calumniis, & contumeliis dies ſuos pleniſſimos duxit, ac ſæviſſima tandem nece inter Latrones interfe-

ctus

ctus clauſi, nullâ penitus ſumptâ de malis, quæ tulit, atrociſſimis ultione: imò pro perſecutoribus Patrem exoravit, Animam eidem redditurus, verbis illis amantiſſimis Lucæ 23. 34. *Pater ignoſce illis: non enim ſciunt, quid faciunt*. Igitur etiam Miſſionarii mala omnia ſibi ab Infidelibus, aut Hæreticis obvenientia vultu alacri, citraque querimoniam ullam excipere debent: illa enim ipſis Chriſtus vaticinatus eſt, Matth. 10. 21. cujus pulchram adducit rationem v. 24. quia nimirum: *Non eſt Diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſervus ſuper Dominum ſuum. Sufficit Diſcipulo, ut ſit ſicut Magiſter ejus, & ſervo, ſicut Dominus ejus. Si Patrem familias Belzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus?*

61. II. Tolerantia hujuſmodi perſecutionum, & injuriarum abſque ullo fragore vindictæ, aut querimoniæ Infidelium corda demulcet, Operariis Apoſtolicis nedum benevolentiam, ſed admirationem conciliat, longèque faciliùs dulci hac manſuetudine, atque lenitate durities Ethnica emollitur, extingiturque crudelitas, quam aſperitate verborum calumnias retundentium; deeſt quippe tunc Paſtoris protectio, nec adjutoria Cœleſtis Patris præſto ſunt, ejus manſuetudinem nequaquam imitantibus. Idcirco cit. cap. 10. Matth. v. 16. Diſcipulos ſuos, atque in ipſis Apoſtolicos Miſſionarios erudiens, ait Salvator: *Ecce, ego mitto vos, ſicut Oves in medio Luporum*; ut ovium nimirum manſuetudinem præſeferentes in naturam ovium Lupos ipſos admirabili tranſmutatione convertant, ut optimè Chryſoſtom. Hom. 34. Oper. Imperfec. *Erubeſcant*, ait, *qui quaſi Lupi Adverſarios ſuos perſequuntur, cum videant Lupos innumeros ab Ovibus ſupera-*

 ri

rì pauciſſimis. Et certè quouſque ſumus Oves, facile hoſtes vincimus: cum verò in naturam Luporum tranſimus, tunc ſuperamur; tunc enim nullum nobis à Paſtore patrocinium adeſt, qui non Lupos, ſed Oves paſcit. Similia ſcribit Gregor. Magn. apud S. Thom. in Cat. aur.

62. III. Patientiæ, ac Manſuetudinis inſignis exemplis longè magis Evangelici Operarii proficient in Animarum converſione, quam ipſomet ſonitu Prædicationis. Hæc quippe heroica injuriarum, ac malorum, quæ ab hoſtibus Dei, & Eccleſiæ inferuntur, invicta perpeſſio Divinum quid, & Ordinis ſuperioris in Lege illa indicat homines Deo ſimiles efficientem, qui Matth. 5. 45. *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos; & pluit ſuper Juſtos, & Injuſtos.* Hinc S. Speridion Trimithuntis Epiſcopus alapam ſuſtinendo, & maxillam alteram offerendo plus admirationis ingeſſit in Aula Imperatoris Conſtantii, quam ipsâmet ejuſdem Filię ſanatione, apud Surium 12. Septemb. in ejus vita: Abraham ſolitarius, ac Presbyter ſuſtinendo invictâ patientiâ, lætantique animo probra, irriſiones, flagella, vulnera, contuſiones, lapides, omniſque generis uſque ad mortem incommoda, Oppidanos, Teniæ in Diœceſi Lampaſcena ab Idolis revocavit, effecitque Chriſti Diſcipulos, quos verba Sacerdotum, atque Concionatorum ad ejuſdem Fidem amplectendam flectere nequaquam potuerunt, apud Baron. ad an. Chriſti 337.

63. Idipſum in Primitiva Eccleſia contigit: multi enim Chriſto ſe ultro dederunt, immobilem tormentorum, ac malorum omnium in Chriſtifidelibus tolerantiam inſpicientes; quod quidem in noviſſimus Japponiæ, aliorumque Barbarorum Regnorum Miſſionibus animadver-

ſum

ſum eſt, ubi plus Evangelii dilatationi profuit, malorum omnium ab Ethnicis inflictorum generoſa perpeſſio, quam ipſemet ſonitus Apoſtolicæ Prædicationis.

SECTIO SEXTA

Quamnam Conſtantiam induere debeant Miſſionarii in laboribus ſuſtinendis?

64. PRæter Fortitudinem, qua Miſſionarii Apoſtolici mala omnia ſibi ab Infidelibus, & Hæreticis inflicta libenti animo ſuſtineant, requiritur quoque invicta illa Patientia, qua citra ullam laſſitudinem, labores omnes Apoſtolicæ Miſſionis comites nedum alacriter amplectantur, ſed virili quoque Animo proſequantur uſque ad finem. Niſi enim Virtute hac præditi ſint, Animoque polleant, ac corpore incommodis omnibus, quæ paſſim eveniunt, ſuperiore, profectò in paleſtra deficient; nec quidquam eorum, quæ incæperunt, ad finem optatum adducent.

65. I. Enim hoc ſuadetur, quia numquam auditum eſt, homines molles, laboris impatientes, nimiumque corporis commodo indulgentes, heoricum quidquam egiſſe. Romani Veteres, quorum fama virtutis Orbem Univerſum implevit, omni laborum genere ab adoleſcentia ipſa exercebantur, apud Alexandrum ab Alexand. lib. 1. cap. 20. Hinc Milites Marii, quoniam oneribus ferendis, aliiſque operibus laborioſis agebantur, à cæteris Nationibus *Muli* appellabantur, ex Plutar. in Mar. Idipſum aliæ Gentes bellica virtute celebriores præſtiterunt; igitur nec Milites Chriſti in ſtadio adverſus Hoſtes Fidei dimicaturos otio torpere

decet, corporiſque commodis nimium indulgere; cujus generis homines, quis umquam audivit de proſtrata impietate triumphum retuliſſe?

66. II. Chriſtus Dominus, qui Concionatorum Evangelicorum norma fuit, atque exemplar, totius vitæ ſuæ curriculo, ut perditos homines ad meliora perduceret, viamque Cœli doceret tutiſſimam, nulli labori pepercit, numquam indulſit quieti, numquam torpore correptus ab inſtituto deſtitit; ſed, ærumnis omnibus devoratis, impiger, atque ad omnia toleranda promptiſſimus, in agone perſeveravit uſque ad mortem, de Animarum ſalute, nihil de commodis ſuis, atque quiete ſolicitus. Hoc igitur pacto, ut Animas lucrentur, à Miſſionariis agendum eſt, quos ipſemet Salvator præivit: ait quippe Joan. 13. 15. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum Ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

67. III. Apoſtoli, Virique Apoſtolici omnes, qui Miſſionariis noſtris normam præbuerunt Evangelii proponendi, Animaſque Deo lucrandi, uti fuerunt Sanctus Franciſcus Xaverius, Sanctus Franciſcus Saleſius, Sanctus Franciſcus Solanus, aliique Viri clariſſimi, qui converſione plurium Animarum enituerunt, non ſegnes, atque dormitantes, non cuticulæ curandæ, ſomnoque dediti fuerunt; ſed, abjectis propriç domus commodis, nulli labori pepercerunt, ut Chriſtum in cordibus hominum parerent, & incommoda quæque libenti ſuſtulerunt animo. Cronica luſtrentur Eccleſiæ, Ordinumque Regularium, eorumque omnium, qui reductioni Hæreticorum, aut converſioni Infidelium incubuerunt, ex quibus profectò patebit, quam inſigni Conſtantia, Animique magnitudine Viri Apoſtolici, ut Animas Cœlo parerent,

rerent, labores ſuſtinuerint incredibiles, atque incommoda uſque in finem toleraverint, unico Dei amore ſuperanda: quibus propterea Deus uberem Animarum ſegetem impertiri dignatus eſt, qua meritò deſtituuntur, qui nocere corpori ſuo nimium pertimeſcunt. Qui igitur corporis commodo nimium ſunt addicti, à Miſſionibus Apoſtolicis veluti inepti ſunt repellendi.

SECTIO SEPTIMA

An Miſſionarii, præter jam explicatas, alias Dotes habere debeant?

68. ALiis quoque Miſſionarii Apoſtolici pręrogativis debent eſſe ornati, nempe Facilitate, ſeù Flexibilitate, qua moribus cujuſcumque vivendi rationis, dummodò Legi Dei minimè repugnent, accomodare ſeipſos valeant. Quod quidem plura perſuadent.

69. I. Quia Lex Evangelica multas in ſeipſa difficultates continet, & jugum humeris hominum carnalium graviſſimum imponit: cujus utique pondus ſuſcipientibus non aggravandum, ſed alleviandum eſt, ne illud qui ſuſceperunt abjiciant, aut ſuſcepturi repellant.: hoc autem ægrè præſtabunt auſteri illi, ac rigidi homines, qui ſenſum ſuum unicè ſequuntur, nec obſequi propenſionibus aliorum in iis, quæ rectitudinem minimè lædunt, ullo pacto noverunt, neque indoli eorum diverſiſſimæ, ac rationibus agendi vel in minimo ſciunt indulgere, nec flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus ullo modo queunt; quod tamen ad Homines in ſententiam ſuam adducendos potentiſſimum utique lenocinium eſt, experientia ipſa docente.

70. II. Chriſtus Dominus, qui Miſſionariis Apoſtolicis normam præbuit Evangelii promulgandi doctrinam hanc praxi ipſa comprobavit: nedum enim quemquam, etſi viliſſimum, à ſui conſortio minimè repellebat; verum etiam eorum, quos Sacrâ Doctrinâ imbuendos ſuſceperat, moribus ſe clementiſſimè aptabat. Hinc ad Convivia, Nuptias, & Domos etiam Publicanorum nequaquam indignabatur accedere, cum ipſis epulabatur, nec quidquam, ut eis placeret, reſpuebat, niſi peccatum, & ſilentium Veritatis.

71. III. Hac ipſa Flexibilitate, ſuavique condeſcenſione Apoſtoli quoque nituerunt, dum Hebræis ad Chriſti Fidem converſis, qui Legalia, etſi abrogata, tenaciter cuſtodiebant, ne diſplicerent hominibus duræ cervicis, eam interdum obſervarunt, optimè ſcientes, nullam Chriſti Diſciplinæ perniciem inferri, cum præcepta Legis non intuitu Religionis, ſed veluti res omnino indifferentes, animo Fratres lucrandi, ſervarent: eos verò, qui ex Circumciſione venerant ad Chriſtum, in Fide ejuſdem retinere confiderent, alioſque ſuavi hujuſmodi indulgentia cenſerent poſſe adduci

72. IV. Hoc pacto plerique Viri Apoſtolici ſe geſſerunt, ac ſe reipſa gerere debent; omnia quidem cum Dei Lege incompoſſibilia, neque in ſe, neque in Neophitis admittentes: in iis verò, quæ nec minimum Divinæ Legis offenſionem involvunt, etſi ſibimetipſis moleſti fuerint, hilari facie annuentes.

73. Hac inſigni præditus Dote Magnus ille Venator Animarum Sanctus Franciſcus Saleſius ad Chriſti Ovile plurimos Calviniana labe conſperſos, ac propterea obſtinatiſſimos, atque indociles, novimus, non tam invincibili do-

ctrinæ

ctrinæ ſoliditate, quàm àdmirabili, qua pollebat ſuavitate moribus omnium ſe aptante ducere potuiſſe.

74. Ad hanc revocatur Comitas illa, & Benignitas, qua non quidem adulatoriè, ſed blandè venientes excipiuntur, agiturque cum ipſis honorifica, prout ſtatus eorum exigit, ratione. Hac quippè Adverſarii conciliantur, devinciuntur, ducuntur ad Sacros Miniſtros intimè diligendos, à quibus libenti animo Veritatem accipiunt, non verò ruſtica, incomptaque agendi ratione, nimioque ſupercilio, verbiſque plenis aſperitate, quibus ſanè Candidati Evangelii non alliciuntur, ſed longiſſimè repelluntur.

75. Nec ſanè umquam invenietur, Chriſtum Dominum duritie verborum, agreſtique aſperitate cum iis, quos ad ſe pellicere ſatagebat, egiſſe, ſed humaniſſimè tractaſſe, adeò ut mitiſſimo ejuſdem ſermone, agendique ratione allectæ, devinctæque ad Montes eum Turbæ, ac per loca deſerta turmatim ſequerentur. Hinc Petrus ad Salvatorem Joan. 6. 69. ait: *Domine, ad quem ibimus? Verba Vitæ æternæ habes.*

76. Idipſum Apoſtoli præſtitere cum iis, quos ad Chriſtum convertere ſatagebant; non cenſoria virga, non Catoniana gravitate, non Diogenis vultu truculento, ſed blanda potiùs ſuavitate tractantes. Hinc ad Gal. 4. 19. Neophitos ſuos Filios Paulus appellat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*; quo loquendi genere ſuavitate pleniſſimo nedum Pauli, ſed aliorum quoque Apoſtolorum ſcripta ſunt undique inſperſa.

77. Hunc ipſum morem Viri quoque Apoſtolici ſervarunt; præ cæteris Athanaſius, Ma-

gnus ille Veritatis Orthodoxæ Propugnator, de quo Nazianzen. Orat. in ejuſdem laudem, inquit: *Vitâ ſublimis erat: verum Animo humilis. Ea erat Comitate, ut ad eum aditus omnibus pateret, clemens, ab ira alienus, miſeratione præditus, ſermone jucundus, moribus jucundior, formâ Angelicus, in objurgatione placidus, in laudando erudiendi vim habens, ne aut mollities diſſoluta, aut ſeveritas faſtidioſa, & importuna eſſet. Et denique percutientibus Adamas, diſſidentibus Magnes.*

78. Divum quoque Ambroſium idem feciſſe novimus cum iis, quos lucrari Chriſto cupiebat, ex S. Auguſt. lib. 5. Confeſs. cap. 13. ubi ait, ſe ad eum accedentem lepra Manichæorum infectum, *Satis Epiſcopaliter* fuiſſe exceptum, atque idcircò ipſum veluti Hominem humaniſſimum, atque benignum erga ſe impensè dilexiſſe. Satagant ergo Miſſionarii Apoſtolici ſe hoc pacto cum iis, quos ducere ad Eccleſiam concupiſcunt, agere, fructumque uberrimum referent in horrea Domini.

CAPUT II.

De Præparatoriis ad Apoſtolicas Miſſiones.

79. MUlta Miſſionarios præmittere opus eſt, priuſquam Miſſiones Apoſtolicas aggrediantur, nè temerè, atque oſcitanter tanti momenti negotio ſe accingant. Horum nonnulla breviter hic præſtringemus, quantum neceſſitas poſtulabit, & brevitas hic neceſſaria præſcribet.

SECTIO PRIMA

Quam neceſſaria ſit in Miſſionariis notitia Linguarum?

80. SUppono I. Miſſionarios nedum baptizatos (quoniam Neophiti à docendo abſterrentur, & fieri propterea Epiſcopi prohibentur, 1. ad Timoth. 3. 6.) ſed etiam Confirmationis Sacramentum fuiſſe conſecutos; quod quidem præter Eccleſiæ praxim, ratio ipſa oſtendit: cum enim Evangelium coram Gentibus, & Regibus ſint annuntiaturi, eo præſidio muniri opus eſt, quo adjuti Tyrannorum, atque Perſecutorum faciem nequaquam metuant; nempe Confirmationis Sacramento, quo in fronte unguntur, *Ubi*, juxta Floren. in Inſtruc. Armen., *Verecundiæ ſedes eſt, ne Chriſti Nomen confiteri erubeſcant, & præcipuè Crucem ejus, qui Judæis eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia*.

81. Suppono II. Miſſionarios hujuſmodi muneri addicendos, nedum in Ordine Diaconatus conſtitutos eſſe oportere: hoc enim officium Concionatoris poſtulare, Eccleſiæ Sanctiones ſtatuerunt, ex Chartag. IV. cap. 98. Conſtan. in Bul. Martini V.: verum etiam Sacerdotalem fuiſſe Dignitatem adeptos: cum enim Miſſionarii Apoſtolici ſint Doctores, ut alios inſtruant, conſtituti, gradu quoque Superiores eſſe debent, ne ſit Diſcipulus ſuper Magiſtrum. Hinc videmus, Miſſiones numquam à puris Laicis exercitatas, ſed ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, quibus dictum eſt Matth. ult. 19. *Docete omnes Gentes*, & Marc. ult. 15. *Prædicate Evangelium omni Creaturæ*,

Tum.

Tumquia Miſſionarii Apoſtolici, ultra prædicationem Evangelii, fungi quoque munere Paſtoris debent, Sacramenta Fidelibus miniſtrando; quod utique niſi Sacerdotibus, qui ligare, ſolvereque poſſunt, conceſſum eſt, ut optimè Nicolaus I. Epiſt. 9.. Et ita praxis docet mittendi ſolummodò Sacerdotes Sacroſancto hoc munere functuros.

82. Suppono III. Eos, qui Miſſionibus Apoſtolicis deſtinantur, illius ætatis, ac maturitatis exiſtere, quæ Miniſterium adeo Sanctum decent ritè exercendum. Quamquam enim non ita provecti eſſe debent, ut laboribus Miſſionis impares videantur; ætatis tamen adeo acerbæ illos eligere, qui adoleſcentiæ adhuc levitatem ſapiant, nimis indecorum eſt; cum ipſi Majeſtatem Eccleſiæ coram ejuſdem Hoſtibus expreſſuri ſint, atque repræſentaturi.

83. Nec ſanè minor in iis, qui Miſſionibus inter Ethnicos, & Hæreticos incumbunt, annorum, morumque gravitas requiritur, quam in iis, qui apud Catholicos Prædicatoris officio funguntur; cum tamen utramque ex his prærogativis à Concionante inter Catholicos, etiam Regulari, poſtulet Ravennenſe II. cap. 30. ſub Clemente V. celebratum, exigens ætatem triginta ſaltem annorum. Sennonenſe verò in Decret. Mor. cap. 35. jubeat, eumdem oportere gravem eſſe, maturum, & doctum: quod quidem Extra quoque de Privileg. firmatum eſt.

84. His præſuppoſitis, opus eſt, Miſſionarium Apoſtolicum, priuſquam operi manum admoveat, ſive Provinciam ſibi aſſignatam ingreſſus ſit, ſive non, Idiomatis, cujus præcipuè in Regno, ſive apud Plebejos, ſive Magnates uſus invaluit, notitiam ſibi comparare;

alio-

alioquin nihil, vel parum apud illos victitans proficere poterit.

85. I. Quia ſenſus ſuos aperire, Auditorum autem excipere per Interpretem, nimis longum, & moleſtum eſt, variiſque periculis expoſitum, etiamſi Fideles Interpretes habeantur: & hoc pacto paucis Auditoribus, & paulatim tantummodò Verbi Dei ſemen inſeri poteſt.

86. II. Longe faciliùs immediatè Veritas Evangelica auribus Hominum inſtillatur voce ipſa Prædicantis, quam Interpretis. Qui enim immediatè aures Auditorum percellit, primo impetu Animum eorumdem occupat, & intima cordis penetralia invadit, nec ſinit eum ad diverticula converti; loquiturque tunc ad cor Jeruſalem, quod ſanè non ſit per Interpretem, cujus vox in itinere langueſcit, viva Miſſionantis voce derelicta.

87. III. Pauci illi, quos per Interpretem ad Dominum converti contigerit, ægrè Operario Apoſtolico conſcientiæ fætores aperient Interprete indigenti, ne pudenda ſua alteri, quam Confeſſario, pateant; quod maximum incommodum eſt: multi quippe à Sacramento Pœnitentiæ capeſſendo removerentur Neophiti, ſive etiam Veterani Chriſtifideles. Tumquia, inſtructio ſpiritualis etiam privata evadit moleſta ob nimiam diuturnitatem, & ob repugnantiam, qua ſecreta conſcientiæ etiam non crimiroſa alteri revelantur.

88. Propterea Miſſionariis Tunchinenſibus Societatis Jeſu à Viro gravi conſilium datum eſt, ut tempus, quod in erudiendis Tyronibus Fidei medio Interprete terebant, in addiſcendo Idiomate Regionis utiliùs conſumerent; fructum ex labore, tardiùs quidem, ſed

ube-

uberiùs relaturi, Patre Joanne Philippo de Marinis ex eodem Illuſtriſſimo Ordine referente. Part.2. lib.3. cap.11.

89. Doctrinam hanc ipſemet Spiritus Sanctus tradidit, Eccleſiamque ſuam docuit, cum Apoſtolis Die Sancto Pentecoſtes, priuſquam Gentes Chriſti Lege imbuendas ſuſciperent, quoniam Evangelium univerſo Mundo promulgaturis tot Gentium linguas tam citò addiſcere nequaquam licebat; omnium linguarum, atque Idiomatum illis cognitionem infudit: dicitur enim Act. 2.4. *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis; prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*. Idcircò autem Idiomatum cognitio illis tunc à Deo infuſa eſt, quia ipſi ea tunc addiſcere nequaquam poterant, iiſdem ſtatim uſuri; ut Miſſionarii docerentur, abſque Idiomatum notitia parum eos in Vinea Domini, aut nihil profecturos, & propterea in iis addiſcendis opus eſſe plurimum ab ipſis operæ impendi, ne Divina tentetur Omnipotentia, ſed labore utendum eſſe, ut eorum notitiâ fiant idonei ad Legem Dei Populis annuntiandam. Hinc Eccleſia Linguarum ſtudium in Univerſitatibus nedum commendavit, ſed præſcripſit, ex Clem. de Magiſtris Cap. unic. & Paulus V. Conſtit. 65. præmia quoque taxavit iis, qui eiſdem incumberent, maximè Regularibus.

90. Satagant ergo Miniſtri Apoſtolici converſioni Infidelium ſacrati ante, vel poſt Miſſionem ſuſceptam Idiomatis Provinciæ, cui præficiuntur, notitiam, prout licebit, aquirere, laborque impenſus uberrimo Animarum fructu rependetur, qui unicus eorum omnium, quæ agunt, ſcopus eſſe debet.

SE-

SECTIO SECUNDA.

Qualem notitiam debeat Miſſionarius aquirere Miſſionis, vel Regni ipſi aſſignati?

91. PRæter Idiomatis notitiam Operariis Apoſtolicis magnopere neceſſariam, priuſquam operi manum admoveant, alia quoque requiruntur ipſis utiliſſima; nempe Miſſionis, ac Regni, cui erudiendo, atque ad Fidem Orthodoxam adducendo præficiuntur, cognitio. Quamquam enim Dei Verbum hujuſmodi legibus minimè ſit alligatum, nec recenſendis cautelis ullo pacto indigeat, hujuſmodi tamen præcautiones valde juvant, & propterea minimè omittendæ. Quantum ergo ad notitiam Miſſionis, hæc ſequentia, priuſquam Miſſionem Miniſter Apoſtolicus ingrediatur, aut ipſam incipiat, ſunt perquirenda.

92. I. An Hæreſis, aut Schiſma, vel Idololatrica ſuperſtitio, aut Mahumetica impietas, aut Atheiſmus ibidem regnet? Quemadmodum enim Sectæ iſtæ longiſſimis inter ſe ſpatiis diſtant, ita modus errores hujuſmodi avertendi, ac reducendi errantes eſſe debet diverſus; neque enim Miles cum hoſte diverſo iiſdem utitur armis, aut Medicus cum omnibus ægrotis eodem genere pharmacorum.

93. Cum verò Miſſionarius Apoſtolicus eos, ad quos dirigitur, Hæreticos eſſe intellexerit, tunc indagari ab eo errores, quibus detinentur neceſſe eſt: quinam ſint: in quo conſiſtant: eorum originem: fundamenta, quibus nituntur: artificia, quibus eos tegunt, ac ſub alia veſte palliare ſolent: eorum radices: quonam pacto ſe Hæreſis diffuderit: quoſnam habeat Socios,

eios, & contribules: infinitos quippe ramos Hæreſis ubique diffundit, ac veluti cancer ſerpit. At præ cæteris Magiſtros, ac Duces quinam ſint, inveſtigandum: ubi verſentur, ubi doceant; nam his proſtratis, ipſam quoque machinam dirui neceſſe eſt.

94. Ob motivum hoc Ariani Oſium Cordubenſem Epiſcopum, Liberium Romanum Pontificem, Euſebium Vercellenſem, Luciferum Calaritanum, Baſilium, alioſque Proceres Catholicæ Veritatis in partes ſuas, trahere conabantur, ex Athanaſ. Apol. 2., & ad Solit. Orat. de Laud. Baſil. Idipſum egerunt in Africa, Epiſcopis ducentis, & triginta in Sardiniam à Traſimundo Rege relegatis, ex Hiſt. Miſcel. Pauli Diaconi. Ita quoque Iconomachi Germanum, & Nicephorum Conſtantinopolitanos Patriarchas Sanctiſſimos, ut errori ſuo ſubſcriberent adverſus Sacros Icones impellere conati ſunt, ex Theophan. in Annal. ex Damaſcen. de Imag. Orat. 2.

95. Ne igitur Filii hujus ſæculi prudentiores ſint Filiis Lucis, Apoſtolici Operarii Hæreſum Duces cognoſcere, eos, ſi Deus dederit, ad ſaniorem ſenſum perducturi, aut, ſi noluerint, eorum perverſitatem detecturi, ſatagant.

96. Quoniam verò mendacium, & Hæreſis ex ſe nihil habent, quo firmiter nitantur, & idcircò ſatagunt errorum Magiſtri Magnorum Principum patrocinium adipiſci, quo fulti Hęreſim tueantur, atque diffundant: quo pacto ſe geſſerunt Ariani Conſtantinum Magnum, quem uſque ad admirationem fefellerant, adeout Athanaſium Divinitatis Filii Dei Vindicem acerrimum exilio damnaverit, ſibi devincientes; & Conſtantium ejuſdem Filium, in quo Catholici novum Diocletianum experti ſunt,

ſunt, ſibi conciliantes. Sic Neſtoriani, & Eutychiani Theodoſium Juniorem; Joconomachi Leonem Iſaurum, Leonem Armenum, atque Theophilum ad ſe traxere, ut de ſubſequentibus Hæreticis taceam. Hoc ergo ſciri à Miſſionariis opus eſt, ut Rectorem Imperii, in quo ſunt laboraturi, errore detentum, ſi facultas acceſſerit, illuminent, ac Veritatem doceant, & inſtruant, quibus Hominibus patrocinium impenderit, ipſumque ab Hæreticorum tutela divellant. Hoc quippe munimine deſtituti Duces errantium, non ita facile Opus Dei, Animarumque converſionem infringent, aut impunè turbabunt.

97. Si verò Miſſionem Operarii Apoſtolici nacti fuerint Idololatriæ, aut alteri Infidelitati obnoxiam, priuſquam operi manum admoveant, ejuſdem Sectæ naturam ex viſceribus ſcrutari conentur, ejus principia, originem, progreſſum, ejuſque radices profunda inſpectione rimantes: ejus quippè intrinſecâ perverſitate perſpectâ, atque intellectis modis, quibus hominum corda pervaſit, atque in præſenti occupat, eruentur profectò inſtrumenta, quibus Infidelium Dogmata faciliùs proſternantur. Ita D. Auguſtinus in Manichæorum lapſus errores, cum eorum doctrinam examinaſſet, inveniſſetque hujuſmodi Sectam minùs habentem, abjecit eam, atque dereliquit, ex Poſſid. in Vit. Auguſt. Cap. 1., Catholicæque Religioni nomen dedit. Eâ porrò cognitione adeptâ uſus eſt ad ipſos Manichæos revincendos, ut patet ex Libris adverſus Fauſtum, Fortunatum, & alios ejuſdem furfuris Viros conſcriptis. Idipſum Juſtino Martyri contigit, qui, teſte Euſeb. Lib. 4. Eccleſiaſ. Hiſt. Cap. 8. examinatis Philoſophorum Ethnicorum Voluminibus, in

qui-

quibus Veritatem quærebat, cum invenire deſperaſſet, ad Chriſti Religionem confugit: quam inviċtiſſimè deindè adverſus eoſdem hauſtâ ex ipſiſmet Ethnicis imbecillitate, fœditateque prophanarum Seċtarum propugnavit, atque ſanguinis confirmavit effuſione.

98. II. Propter eadem motiva, quinam ſint eorum Duces, Magiſtri, ac Sacerdotes, inquirere ſatagant: quinam ſint eorum mores: quænam Animi habitudines; quænam ratio docendi: ex hoc enim genere Hominum ob ſapientiæ, probitatiſque opinionem imperita Plebs, imò Magnates ipſi potiſſimum pendent. Deteċtis autem eorum qualitatibus, non ita difficile Miniſtri Evangelici Opus Dei experientur, quoties ipſi Animo eorum ſe dulciter inſinuaverint, atque congruis, honorificis, modeſtiſque agendi rationibus eos convenerint, ac pedetentim ad ſermonem de Religione miſcendum excitaverint, in quo non contumelias eruċtando, ſed adducendo fortiſſima argumenta, vanitatem Ethnicæ Superſtitionis, aut Mahumeticæ fœditatem Seċtæ perſpicuè demonſtraverint. Quo paċto aut Animas eorum cum plurimis illos ſequentibus lucrabuntur; aut odium ipſorum adverſus Chriſti Fidem non adeo acerbum experientur; aut ſaltem inexcuſabiles illos coram Deo efficient. Hac praxi plerique Miſſionarii prudentes ſe Seċtarum Primoribus inſinuantes multum profecerunt, amica libertate Seċtarum abſurditatem, quin ipſi offenderentur, aperientes, atque ad meliora ducentes.

99. III. Statum Reipublicæ opus eſt innoteſcere, an pacificus in ſe ipſo ſit, an potius inteſtinis ſeditionibus turbulentus? Pacatus cum exteris, an bello fervens? Non quidem, ut

ut Miſſionarii Apoſtolici ſe rebus politicis immiſceant; hoc enim ab ipſis alieniſſimum eſſe debet; nec quidquam illis officiet magis, quam ſuſpicio politicas ab illis tractationes ſub obtentu Religionis haberi: ſed potiùs, ut Prædicationem Evangelii tempore congruo ſuſcipiant. Neque enim fructus aliquis ſperari poteſt, Republicâ inteſtinis diſſenſionibus, aut Hoſtibus externis eam laniantibus ad interitum ruiturâ. Propterea Apoſtoli in hujuſmodi anfractibus minimè leguntur Evangelium annunciaſſe; & Sanct. Franciſcum Xaverium ex Japponia turbinibus ſeditionum quaſſata novimus diſceſſiſſe, ex Foreſt. Mappam. Tom. 1. Part. 1. pag. 214.

100. IV. Status Regni utiliſſima eſſet cognitio, an ſcilicet calamitatibus, ærumniſque prematur, vel ingenti potiatur felicitate? Contigit quippe interdum hujuſmodi circumſtantiis arreptis, magnum fieri lucrum Animarum: habemus quippe, Burgundiones ab Hunnis incurſionibus dire vexatos ad Chriſtum confugiſſe, Sacroque ſe Lavacro ablui poſtulaſſe, hiſque præſidiis munitos Hoſtibus reſtitiſſe, clade illis horrificâ inflictâ, apud Sigon. Lib. 13. Imper. Occident. Gundeſchalcum Wandalorum Principem diuturno apud Danos exilio domitum Chriſtianæ Religioni, quam priùs execrabatur, nomen dediſſe, ex Crant Lib. 3. Hiſt. Sac. Cap. 1. Gerundum, ſeu Gormionem Phrontonis Daniæ Regis Filium ab Elfredo Britanniæ Principe captum Baptiſma, cum triginta Magnatibus, eorumque ſatellitio ſuſcepiſſe, apud Willelmum Marbersburienſem Lib. 3. Cap. 4. Hiſt. Anglor.

101. Tandem Incolarum Regni, quod ſuſcipitur excolendum, Indolis, ac Naturæ notitia

titia præmittenda eſt, an ingenioſi, vel hebetes? Aperti, & candidi, vel aſtuti, & verſipelles? An magnanimi, aut inertes, & pavidi? An inconſtantes, vel firmi? An liberales, aut avari, vel rapaces? Inopes, vel divites, iracundi, vel mites? Eorum enim Naturâ perſpectâ, faciliùs quoque ad animum alliciendum patebit acceſſus.

102. Hoc quidem à Miſſionariis multò fortiùs cum Magnatibus agendum eſt; Indole enim detecta Principis, atque Procerum Regni, uti latiſſima panditur via eos ad ſemitam Veritatis adducendi; ita ipſis Chriſto ſacratis, uberrima profectò erit reductio inferiorum. Sic Oſvio Northanymbrorum Rege ad Chriſtum converſo, Populi Angli eum ſecuti ſunt; itaut omnes infra biennium fuerint baptizati, apud Bedam Lib. 3. Hiſt. Eccleſ. Anglor. Cap. 21. & 24. Clodoveum I. Francorum Regem Chriſti Fidem amplexum Galli ſunt imitati. Donaldum quoque Scotorum Regem, qui Fidei Orthodoxæ nomen dederat, omnes ipſius ſubditi in ejuſdem amplexu ſunt ęmulati, ex Boeth. Lib. 3. His muniti prænotionibus, utique Miſſionarii longè faciliùs implebunt miniſterium ſuum. Nitantur ergò ante ingreſſum Miſsionis, aut ſaltem priuſquam Opus Apoſtolicum ſibi injunctum exerceant, omnia hucuſque recenſita, quantum licuerit, ſcire; memores tamen non induſtriæ ſuæ, ſed Gratiæ Dei omnia adſcribi oportere: ut enim habetur Joan. 6. 44. 45. *Nemo poteſt venire ad Me, niſi Pater, qui miſit Me, traxerit eum; & omnis, qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad Me.* Quibus locis utitur Auguſtinus pro Gratiæ interioris adverſus Pelagianos convincenda neceſsitate, de Prędeſt. SS. cap. 8., & alibi paſsim.

SE-

SECTIO TERTIA

An oporteat Miſſionarium Apoſtolicum Orationi ſpeciali modo operam dare?

103. Quæ hactenus in hoc Capite recenſuimus Operi Miſsionum præmitti oportere, utique utilia ſunt, iiſque omiſsis, Apoſtolicus Operarius imprudenter nimium arduo Miſsionum Operi manum apponeret: At Oratio, qua fores Cœli pulſantur, ut corda Infidelium ex lapideis carnea efficiantur, utique præ cæteris omnibus eſt neceſſaria. Idque pleriſque conſtat argumentis.

104. I. Cum Fides ſit pretioſum Dei miſerentis Donum, ex Arauſic. II. Can. 5. & 8. Oratione ferventiſsima apud ſupremum Dominum agendum eſt, ut laboribus pro converſione Infidelium impigrè ſuſceptis, Cœleſtem Ipſe fæcunditatem impendat: Deus enim fortaſſe precibus Apoſtolici Præconis ita converſionem alligavit, ut etiam citra ipſas, qui Concionatorem audit, minimè ſit conſecuturus.

105. Neque novum videri debet converſionem Peccatoris, aut Infidelis precibus Operarii Apoſtolici interdum fuiſſe alligatam. Quamquam enim Deus: *Omnes, velit, ſalvos fieri, & ad agnitionem Veritatis venire*; ***unus enim Deus, Unus, & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*** 1. Timoth. 2. 4. & ſeqq.; Optimè tamen novimus, id precibus Sanctorum, ac Piorum Hominum executioni mandari. Sic Oratione S. Stephani Protomartyris Saulum Fidei perſecutorem in Apoſtolum emerſiſſe, aſſerit D. Auguſtinus ſerm. 4. de eodem.

dem. Martialis Vir in Africâ primarius ægrotus à Baptiſmo alieniſsimus precibus D. Stephano Protomartyri porrectis, extemplo mutatus, regenerari poſtulavit, & re ipſa Sacrum Baptiſma recepit, teſte eodem Auguſt. Lib. 22. de Civit. Dei Cap. 8. Imò eundem Auguſtinum non tam Concionibus Sancti Ambroſii, quam Sanctæ Monicæ precibus Deo fuiſſe progenitum, humiliter ipſemet fatetur Lib. 2. Confeſſ. Cap. 12. Hinc Sanctus Franciſcus Xaverius ferventiſsimè pro Infidelium converſione orabat, ex Turſell. Lib. 6. ejuſdem Vitæ, Cap. 5. Hoc pacto Miſsionarii Apoſtolici dupliciter Filios Chriſto parturient, Oratione nimirum, & Prædicatione.

106. II. Ad exercendas ritè Miſsiones, & Animarum converſionem requiritur Charitas ardens, Spes firma, profunda Humilitas, ac Longanimitas fortis. Hæc autem omnia addiſcuntur, & obtinentur in Oratione.

107. Charitas quidem: nam perpendendo Deum priùs dilexiſſe nos, quam nos ipſum diligeremus, ac pro nobis Animam ſuam poſuiſſe, Corpuſque ſuum cruciatibus tradidiſſe, ignis exardeſcit in voluntate magna pro Deo, Animarumque ſalute ſuſtinendi, atque efficiendi, nullique labori parcendi, ut Nomen Chriſti apud omnes Gentes annuntietur, qui pro nobis talia, ac tanta perpeſſus eſt.

108. Spes quoque Oratione magna excitatur, dum attentè conſideratur, quam infinita Dei ſit Bonitas, qui in Charitate perpetua dilexit homines, eorum miſerans infirmitatem: propterea firmiſsimè confidit fore, ut conatus ſuos plurium converſione Animarum Deus felices efficiat.

109. Humilitas ex Oratione aquiritur, & vires

vires ſumit, dum Magnitudinem Dei Orans ibidem percipit, ſuique ipſius indignitatem agnoſcit; atque propterea ad nihilum ſui reducitur, tumoremque omnem, atque elationem exſcindit, quæ fortaſſe ex Animarum converſione, Populique plauſu poſſet exurgere, deque ſeipſo diffiſus, curam ſuam omnem unicè in Deum jactat, à quo ſolummodò profectum Miſſionis, & Animarum converſionem expectat.

110. Longanimitas pariter in Oratione addiſcitur, eoquia docet Deus Orantes, converſionem Animarum munus eſſe Divinæ miſericordiæ corda hominum ad ſe, cum voluerit, potentiſſimè trahentis; & propterea patienter expectari oportere, donec deſcendat Virtus ex Alto, juxta illud Pſal. 26. 14. *Expecta Dominum: viriliter age; confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.*

111. III. Nemo feliciùs Dei Verbum proponit, quam Divina luce perfuſus, juxta Pſal. 93. 12. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de Lege tua docueris eum.* Hinc Paulus ut Evangelio, quod prædicaverat, authoritatem conciliaret, ipſum dixit cælitus accepiſſe, Gal. 1. 12. & notat Chryſoſtomus in locum hunc: Totum autem hoc Oratione obtinetur, qua Magiſtri Dei ſcholam ingredimur, æternæque evadimus Sapientiæ Diſcipuli. Hæc Scala Jacob eſt, per quam interiora Numinis latibula penetramus. Hæc eſt Officina, in qua Doctores, & Apoſtoli formantur: Hinc D. Bernardus interpellatus, unde ſcientiam uberem, qua Eccleſiam ædificabat, deprompſiſſet? Repoſuit, ex nemoribus accepiſſe, ubi Contemplationi vacabat. Similia Seraphicus Bonaventura D. Thomæ ſciſcitanti,

ti, unde plenitudinem Doctrinæ acciperet, & tam cito? Reſpondit ipſe Imaginem Crucifixi indicans, ab ea ſumere quidquid ſciret, alioſque doceret, apud Wadding. Tom. 2. Annal. Ord. Min. ad An. Chriſti 1274. Religionis verò Minoritarum 67. Idipſum Sanctus Thomas faſſus eſt Fratri Reginaldo apud Breviar. Rom. & Bollan. Tom. 1. die 7. Martii.

112. IV. Miſſionarii Apoſtolici Opus adeo arduum aggreſſuri Converſionis Infidelium, & Hæreticorum Animum rebus omnibus humanis ſuperiorem gerere debent, adeout cum Ignatio Martyre ſe nedum ærumnis, tribulationibus, & perſecutionibus, verum etiam cruciatibus, & neci acerbiſſimæ paratos exhibeant: hanc autem Animi magnitudinem Oratio largitur, ut optimè Chryſoſt. Lib. 1. de orando Deo, inquit enim: *Neceſſe eſt, ut qui cum Deo familiaritatem habet, ſuperior evadat & morte, & omnibus, quæ corruptioni ſunt obnoxia*; quod quidem in ſequentibus demonſtrat.

113. Et revera quiſnam ex Apoſtolicis Operariis inextinguibilem Animarum zelum non concipiet, dum horrorem pœnarum infernalium, ad quas extranei à Fide Orthodoxa properant, aut magnitudinem gaudiorum Cœleſtium, à quibus excluduntur Infidelitate detenti, profunda meditatione perpendit? Aut quis ex ipſis Chriſti Miniſtris, ad omnium laborum, calamitatum, tormentorum, & cruciatuum, imò necis cujuſcumque acerbiſſimæ, nedum tolerantiam, ſed juge deſiderium non incendetur, dum in Oratione perſiſtens Filium Dei conſpicit, pro Animarum ſalute, nedum ærumnas paupertatis, ſed calumnias, probra, inſectationes, flagella, ſpineam Coronam, Crucis tormenta, necemque ſæviſſimam invicto Ani-

Animo ſuſtinuiſſe? Profectò cum Paulo ad Heb. 13. 12. Chriſtum inſpiciente, pro Animarum ſalute patientem, qui, *Ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem Populum, extra Portam paſſus eſt*, ſtatim ardore ipſum imitandi pro Animabus ſpirantem, concludit: *Exeamus igitur ad eum extra Caſtra, improperium ejus portantes*.

114. Ex hucuſque adductis evincitur, Apoſtolicos Operarios, & ante, & poſt incæptam Miſſionem Orationi magnopere addictos eſſe oportere, robuſtas in ea vires accepturos, ne oneri ſuccumbant. Hinc Chriſtus Dominus, priuſquam Apoſtolos conſtitueret Orbis Univerſi Converſioni deſtinatos: *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in Oratione Dei*; Lucæ 6. 12. Ipſi quoque Apoſtoli idipſum fecerunt in Ordinatione Matthiæ, in Diaconorum electione, in dimiſsione Barnabæ, & Pauli, Act. 1. 6. & 13., quæ omnia ad Infidelium Converſionem proximè vel remotè ordinabantur. Eccleſia quoque hoc ipſum uſu confirmat, nihil abſque Oratione perficiens, etiam in Oecumenicis Conciliis, ex Raven. III. ſub Clem. V. cap. 16. Si ergo Apoſtoli, & Eccleſia nihil abſque Oratione ſuſceperunt, aut egerunt, Præſules quoque Apoſtolici nihil, quod Miſsiones reſpiciat, amplecti debent, Supremo Numine in Oratione minimè conſulto.

SECTIO QUARTA

Utrum à Miſſionariis præmittendum ſit Jejunium pro digna præparatione Operis?

115. ORationis comes Jejunium eſt, quo nedum corporis habetur mortificatio, verum etiam Deo cultus exhibetur, & Sacrificium gratiſsimum immolatur; & propterea in Scripturis ſolent copulari. Hinc Lucæ 2. 37. de Anna Prophetiſſa dicitur, eam aſcendiſſe in Templum, & quod ibi manebat: *Jejuniis, & obſecrationibus ſerviens die, ac nocte*. Hoc ipſum igitur à Miſsionariis præmitti Operi Apoſtolico debere, multa perſuadent.

116. I. Quia Chriſtus Dominus eorum Caput, & Exemplar, Evangelicæ Prædicationi ſe accingens quadraginta diebus, & quadraginta noctibus Jejunio ſe maceravit, Matth. 4. 2. Idipſum feciſſe Moyſen à Deo Legem accepturum, & Populis Promulgaturum, narratur Exod. 34. 28., & notat optimè Baſil. Magn. Homil. 1. de Jejun. Idem feciſſe Joannem Baptiſtam Baptiſmum Pœnitentiæ enunciaturum, ut habetur Matth. 3. 4. locuſtis, & melle ſilveſtri unicè contentum.

117. Eumdem morem Apoſtoli ſecuti ſunt Prædicationem Evangelicam, præmiſſo Jejunio, inchoantes, nec quidquam efficientes tangens Animarum ſalutem, niſi præmiſſo Jejunio, ut patet Act. 13. 3. ubi Paulus à Barnaba non eſt ſegregatus, ut Evangelium annunciarent, niſi Jejunium præmiſiſſent.

118. Eccleſia quoque nihil magnum pro ſalute Animarum aggreditur, niſi Jejunio præmiſſo.

ſo. Propterèà priuſquàm Concilia Oecumenica, aut alia inchoentur, Jejunium indicitur, ex Synod. Ravennat. III. cap. 16. Hiſpal. II. c.4. Quod in Lugdunen. quoque II. contigiſſe, narrat Bail. Tom.1. Concil., & Trident. ipſum Seſs.2. in Sac. Ordinat. idipſum præſcribit, ſive Ordinandis, ſive Ordinantibus. Idem habetur Diſt.75. Cap. *Quod à Patribus*; & propterea in Quadrageſima, & Quatuor Temporibus fieri ſolet, Diſt.75. Cap.ult. Ita quoque quoties Confirmatio tribuenda eſt, de Conſecrat. Diſt.5. Cap. *Ut Epiſcopi*. Quia nimirum negotium magnum eſt, cujus felicitas eſt Jejunio à Deo impetranda.

119. II. Jejunium validiſſimum eſt medium obtinendi à Supremo Numine quod poſtulatur. Idcircò Judith 4.8. Jejunio ſalus Populi à Deo fuit petita; Ninivitæ veniam peccatorum obtinuerunt, Jonæ 3.10.; & ſub Aſſuero necis Populi Judaici ſententia fuit deleta, Eſther 14.2.; ergo Miſſionarii quoque ſe pro Converſione Infidelium Jejunio affligentes ſpondere ſibi poſſunt preces ipſorum exaudiendas.

120. Hoc autem eo magis eveniet, quia cæteri pro ſeipſis, Apoſtolici Præcones, Charitate urgente, pro ſalute Proximi obtinenda pœnitentiam ſumunt, uti fecit Sancta Ludgardes, quæ pro Hæreſis extinctione pluribus annis jejunare juſſa eſt, ex Thom. Cantiprat. lib.2. ejus Vitæ cap.2.

121. III. Miſſionarii Apoſtolici Eccleſiam repræſentant, cujus Miniſtros pro ſalute Populi affligi oportere, habemus Joel. 2. 17. *Inter Veſtibulum, & Altare plorabunt Sacerdotes Miniſtri Domini, & dicent: Parce Domine, parce Populo tuo*: Et ſicuti Sacrificiis debent pro peccatis Populorum placare Levit.2.2. Num.5.

N 3 8., Eze-

8., Ezechiel. 46. 14., ad Hebr. 5. 1. 7. 3. Ità pro Converſione eorumdem ad Deum ſe macerare jejuniis congruit, ut cæcitatem eorum tollere lumine veræ Fidei, cordiſque duritiem auferre dignetur.

122. Et revera ita ii, qui Converſionum laude floruerunt, egere. Hinc à Sancto Joanne Evangeliſta, priuſquam Evangelium ſuum conſcriberet, indictum Fidelibus Jejunium fuiſſe, narrat Metaphraſtes apud Lippoman. Tom. 3. Hiſt. SS. Quo pacto indicatum eſt Evangelium in cordibus Hominum minimè fructific are ſine jejunio Concionatoris.

SECTIO QUINTA

Num Sacramentum Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ ſumptio ſit præparatio à Sacris Miſſionariis neceſſariò præmittenda?

123. Ultima hæc duo, quæ Operariis Apoſtolicis Miſſioni præmittenda proponuntur, validiſſima ſunt præſidia, quibus muniti certamen cum Hoſtibus Chriſti fidenter inire poſſint, quorum unum negativè juvat, tollendo impedimenta nempe Sacramentum Pœnitentiæ: alterum poſitivè prodeſt, vires miniſtrando.

124. Sacramentum ergo Pœnitentiæ Operi Miſſionum præmitti oportere, ſuadetur.

125. I. Quia ſi contingat, Apoſtolicos Miniſtros labe lethali (quod Deus avertat) eſſe inquinatos, opus eſt ipſi Deo reconciliari, quod mediante hoc Sacramento contingit; vel ſaltem actu contritionis perfectæ, aut amoris Dei per ſe dilecti: alioquin labores eorum apud Deum eſſent irriti, atque inanes: optimè enim Pau-

lus

lus 1. Cor. 13. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens:* Ita etiamſi Martyrium ſuſtineretur manente reatu culpæ, nondum per Pœnitentiam revocato, minimè ad Vitam æternam aquirendam juvaret, uti ſubdit ibidem idem Apoſtolus poſt pauca: *Si tradidero Corpus meum, itaut ardeam; Charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Et docent communiter Theologi cum Trident. Seſs. 6. cap. 16., igitur ut labores in Evangelii Prædicatione ſuſtinendi Deo placeant, & Vitam mereantur æternam, in Charitate fieri debent; igitur Pœnitentiæ Sacramento opus eſt, aut ipſi æquivalente, ut Charitas per peccatum amiſſa, denuò reſtituatur, ex Triden. Seſs. 6. cap. 4.

126. II. Etſi Deus ad Infidelium Converſionem uti poſſit inſtrumento etiam à ſe diviſo, ſibique inviſo; hoc tamen moribus ipſius Dei adverſatur, qui Legatos à ſe miſſos pro Cœleſtium executione mandatorum, vult ſibi amicos eſſe, omnique labe abſterſos. Hinc Iſaiam, ſe Miſſioni offerentem, voluit priùs purgatum, miſſo uno ex Seraphim, qui calculo ignito ejuſdem labia igne purgaret, inquit enim: *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Iſai. 6. 7. Igitur Miſſionarii Apoſtolici, qui Dei Legatione funguntur, per Pœnitentiæ Sacramentum, maculas omnes, quibus fuerint, fortaſſe, lethaliter fœdati, debent abſtergere, ut munere ſuo ſalutariter fungantur.

127. Neque eos excuſat, quod à crimine mortifero ſe putent immunes. Tumquia ignoramus, an revera nullum in nobis lethale piaculum inveniatur. Hinc Regius Pſaltes clamabat

N 4 ad

ad Dominum Pſal. 18. 13. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce Servo tuo.* Tumquia, etſi maculæ, quibus inquinantur, leves ſunt, & veniales, Animam tamen inficiunt, minuſque aptam reddunt, ut Cœleſtibus muneribus impleatur, quibus profectò ſi Miſſionarii affluerent, uberiorem Animarum meſſem Chriſto congregarent.

128. Et re verâ ſi Eccleſiaſtica revolvamus monumenta, inveniemus, eos, qui manipupulos pleniores Animarum in horrea Domini retulerunt, ſive Apoſtolos, ſive Apoſtolicos Viros, non modo à gravibus, ſed etiam à leviſſimis culpis fuiſſe, quantum humana patitur infirmitas, alienos.

129. Liquet ergo apertiſſimè, Operariis Apoſtolicis Opus Miſſionis aggreſſuris, nedum utiliſſimam, ſed neceſſariam eſſe Sacramenti Pœnitentiæ ſumptionem, ut, maculis omnibus abſterſis, fidentiori animo in agro Dominico laborent, fructum fœcundiſſimum inde collecturi.

130. Eadem ratione nequaquam ſe muneri Evangelico debent accingere, niſi Auguſtiſſimo ſe prius Euchariſtiæ Sacramento refecerint, ſive Sacrum conficientes, ſive illud à Sacerdotibus accipientes, prout ſtatus illorum reſpectivè poſtulaverit.

131. I. Quia iis, quibus pugna ſpiritualis cum Hoſtibus Fidei proximè imminet, Cibus quoque ſpiritualis, juxta Orig. Hom. de Baptiſ., neceſſarius eſt, quo vires reſtaurentur, ac roborentur Animæ Pugilis acriter dimicaturi. Quis autem ignorat, eſcam Fidelibus congruam eſſe Corpus Chriſti, de quo ipſemet Joan. 6. 56. dixerat: *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus*, & optimè Hieronym.

rónym. advertit Lib.2. in cap. 9. *Zachariæ ?*

132. II. Miſſionarios Apoſtolicos opus eſt Divina luce perfundi, priuſquam Evangelicæ Prædicationis onus aſſumant, ne loco Veritatis, errorum tenebras ſpargant, & pro pane venenum porrigant. Lux iſta Chriſtus Dominus eſt, ut ipſemet teſtatur Joan. 8. 12. *Ego ſum lux Mundi*, & ejuſdem Joan. 1. 9. de ipſo dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem Hominem venientem in hunc Mundum*. In Sacramento autem Euchariſtiæ Chriſtus Dominus nobis communicatur, & ſeipſum præbet; Joan. 6. 57. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in Me manet, & Ego in illo*; igitur Miſſionarii Apoſtolici, qui panem hunc edent, *qui de Cœlo deſcendit, & dat vitam Mundo*, uti dicitur ibidem v. 34., nequaquam in tenebris eſſe queunt, in quibus ipſe lucet: *Et tenebræ eum non comprehenderunt*, ex 1. ejuſdem Joan. 5.; Ergo opus eſt, antequam munus adeo formidandum ſuſcipiant, Miniſtros Apoſtolicos luce hac ſupercœleſti perfundi, & accipere virtutem ex Alto.

133. III. Miſſionarii Apoſtolici idcircò mittuntur, ut errores, atque ſuperſtitiones prophanarum Sectarum igne Charitatis, ac Sapientiæ comburant, atque in cineres redigant; idcircò enim Chriſtus Dominus ad nos deſcendit, ut flammas hujuſmodi excitaret, ait enim Lucæ 12. 49. *Ignem veni mittere in Terram; & quid volo, niſi ut accendatur?* Quem locum Patres in Cat. citati intelligunt de Prædicatione Evangelii, qua corda hominum Divino ſuccenduntur amore, juxta Pſalm. 118. 141. *Ignitum eloquium tuum vehementer*. Ignis autem iſte in Venerabili Euchariſtiæ Sacramento donatur; datur quippe Deus ipſe, qui ad Hebr. 12. 29.

Ignis conſumens eſt; igitur Apoſtolici Præcones ignem hunc omnia prophana Dogmata, ſuperſtitioneſque incendentem concepturi Euchariſtiam ante Miſſionis aggreſſionem ſumere debent, in qua concipitur, & nutritur, juxta Primas. de Martyr. loquentem: *Hoc meritum*, inquit, *in Eccleſia pro iis ſpecialiter deſignari debet, quos pro Chriſto contigit Sanguinem fundere*: Quia ſi quis Domini ſui fonte mundatur, carneque paſcitur Agni, igne ſpirituali ſuccenditur.

134. IV. Miſſionarii Apoſtolici, priuſquam impoſitam ſibi Provinciam exerceant, parati Animo eſſe debent, ut nedum adverſa omnia, ſed tormenta quoque, & necem quantumvis acerbiſſimam ullo pacto formident, imò avidiſſimè cupiant, ut eſſe poſſint cum Chriſto, ſicuti optabat Apoſtolus ad Philip. 1. 23. *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Hanc autem Animi fortitudinem Diviniſſimum præbet Euchariſtiæ Sacramentum, ex Chryſoſt. Hom. 61. ad Popul. Antioch. *Tamquam Leones ex illa Menſa recedamus, facti Diabolo terribiles*.

135. Hinc in Primitiva Eccleſia, quoniam Neophiti Martyrio ſe parabant imminenti, ſtatim Baptiſmate initiati, eſca ſalutari Euchariſtica reficiebantur, ut ipsâ roborati pro Fidei Confeſſione cruciatus, ac mortem ipſam minimè pertimeſcerent, apud Baron. ad an. Chriſti 154. Ipſi propterea Confeſſores in Carcere detenti, Alimoniam hanc, Sanctumque Miſſæ Sacrificium ardentiſſimè cupiebant, quibus, quantum liceret, ſatisfacturi Sacerdotes ad eos conabantur accedere, non catervatim, ſed pauci, juxta monitum D. Cypriani apud præfatum Baron. ad annum Chriſti 233.

136. Nec

136. Nec immeritò: ille quippe Cœleſtis Cibus eos invicto Divini amoris Clipeo armabat ex D. Cypriano Epiſt. 54., & 55. & propterea Pœnitentibus quoque tributus, ut, imminente perſecutione, haberent unde vires ad reluctandum tentationibus haurirent.

137. Congruum igitur eſt, ex his duobus Sacramentis piè ſuſceptis auſpicia ſumi. Dignè enim, & fructuosè ſumpta nedum optimum, initium, ſed finem fauſtiſsimum Apoſtolicis Miſsionibus exhibebunt.

CAPUT III.

De iis, quæ in Miſſione ipſa peragenda ſunt.

138. QUæ hactenus de Miſsionibus Apoſtolicis dicta ſunt, iis ſolummodò viam pandunt, illarumque tollunt impedimenta: nunc ſupereſt eoſdem Miſsionarios edocere, quo pacto in Miſsione ipſa ſe gerere debeant; in hoc quippe negotii culmen reipſa ſitùm eſt.

SECTIO PRIMA

Quid poſt ingreſſum ad Miſſiones à Miniſtris Apoſtolicis faciendum?

139. HAbitis iis, quæ hucuſque ſunt recenſita, oritur difficultas, quid à Miſſionariis Apoſtolicis faciendum ſit, cum Miſſiones fuerint ingreſsi? An ſtatim Evangelium annunciandum, aut Hæreſis exſcindenda, vel expectari opportunitatem oporteat?

140. Pro priori ſententia faciunt exempla Majorum, qui ſtatim in arenam deſcenderunt

cum Hoſtibus congreſſuri, eos etiam ad pugnam provocantes, ſtatimque Chriſtum annunciantes.

141. Et profectò Apoſtoli, qui Miſsionariis Apoſtolicis facem prætulerunt, hujuſmodi cautelis uſi non videntur; alioquin quomodo numero pauci, temporeque adeo brevi Orbem Univerſum Chriſtianę Fidei pręceptis imbuiſſent, atque ab errore revocaſſent?

142. Viri quoque Apoſtolici, qui plura Regna, & quidem modico tempore Chriſto, ac Veritati ſubjecerunt, Apoſtolicum Rete ſtatim jeciſſe leguntur. Ita de Auguſtino Anglorum Apoſtolo narrat Beda in eorum Hiſtor. l. 1. cap. 26. Monachorum ſtipatum cohorte, ſtatim eum coram Rege, Crucis vexillo præcedente, Nomen Chriſti annunciaſſe, multis illicò ad Fidem converſis.

143. Idipſum Sanctum Bonifacium Moguntinum Archiepiſcopum, ac Germaniæ Apoſtolum feciſſe, ex Surio habemus Tom. 3. 5. Junii in ejus Vita, qui cum a Gregorio II. Apoſtolatum accepiſſet, paucis poſt adventum diebus Primioribus Populi Evangelium propoſuit: quod quidem cum Populis quoque Friſiæ egit, ad Chriſti Fidem converſis.

144. Hujuſmodi exemplis moti quinque Primi Martyres Ordinis Minorum, de quibus Marcus Ulyſsiponenſis in Cronic. Par. 1. lib. 4. à cap. 5., uſque ad 15. incluſivè; & alii ſeptem ex eodem Ordine, de quibus agit idem Marcus Lib. cit. à cap. 30. uſque ad 34. Mahumeticæ impietatis Cultores ſtatim ac acceſſere monuerunt, in ſtatu perditionis exiſtere, à quibus poſt varia tormentorum genera Martyrii palmam accipere meruerunt, Sanctorum Martyrum Catalogo adſcripti.

145. Hanc

145. Hanc Animi magnanimam Fortitudinem plures ex eodem, & aliis Ordinibus, Cleroque ſæculari, Spiritu Sancto impellente æmulati, citra cunctionem ullam Hoſtes Fidei errorum, quibus detinebantur arguentes, Sacro Cruore doctrinam, quam tradidere firmarunt, quorum triumphis Eccleſiæ, Sacrorumque Ordinum Monumenta plena ſunt.

146. Alii veró, eodem Divino Spiritu docente, atque Fidei zelo impulſi temporis, loci, rerumque circumſtantiis famulati, Dei Verbum, quoties opportunitas acceſſiſſet, evulgarunt; numquam propter hoc reprehenſi, ſed potiùs imitatione digni habiti ſunt, Prudentiam, quæ virtutum eſt directrix, adhibentes.

147. Apoſtoli ipſi hanc evangelizandi rationem tenuerunt. Divus Petrus Act. 3. 4. ex Claudi ſanatione, eoquia ductus eſſet in Concilium Cap. 5. à Pontificibus, & Magiſtratibus interpellatus, Cap. 10. Cornelio Centurione, ad Fidem converſo Evangelium annuntiavit. Idipſum præſtitit Romæ Legem Chriſti, cum opportunitas accederet, promulgans.

148. Eadem Paulus Apoſtolus exempla, præbuit, qui Chriſtum annuntiavit, interdum excitantibus Judæis, ut de Lege ſermonem inſtitueret Act. 13.: interdum ſumpta occaſione ex aliquo incidenti; ut quando Athenis Legem Chriſti expoſuit, visâ Arâ, cui erat inſcriptum *Ignoto Deo*, ut Act. 17.: interdum ex portento aliquo, quod contigerat, loquendi de Chriſto ſumpſit exordium; ut cum, ſeditione adverſus Apoſtolicos excitata, Pauloque Carceri detruſo, Terræ motus factus eſt magnus, & vincula diſſoluta, Act. 16.: interdum accerſitus veram Religionem evulgavit, Act. 13. Sergio Paulo Proconſuli Chriſtum annuncians: interdum

dum captus, & ante Tribunalia Regum ductus liberrimè Chriſtum, & Evangelium confeſſus eſt; ut accidit coram Gallione Achajæ Proconſule, Act. 18., & coram Rege Agrippa, Feſtoque Syriæ Præſide Act. 26.

149. Hoc pacto Apoſtolorum Principes etiam Romæ ſe geſſerunt Evangelicam Legem, cum occaſio ſe obtuliſſet, annuntiantes, quam tamen in Domum quoque Cæſaris invexerunt, & ſe inſinuabant de Chriſto loquentes, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.

150. Regulariter igitur loquendo non ſtatim in medium Apoſtolici Miſſionarii ſe debent exhibere, ſed opportunitates, quas Dominus præbuerit, arripere, ſive publicè, ſive privatim, quibus Chriſtus annuntietur, aut incidenter, aut ſermone inſtituto.

151. Eo magis, quia in hac temporum conſtitutione Principes Ethnici, aut Hæretici, non ita facile patiuntur proponi publicè Evangelium: quod ſi Miſſionarii Apoſtolici parum prudenter attentaverint, è Regno expellentur cum magna Religionis jactura.

152. Satagant ergo Chriſti Præcones, quæ hucuſque dicta ſunt, ſervare, atque cuſtodire ſcintillam in Iſrael, ideſt paucos illos Catholicos, quos fortè invenerint Idolo Baal minimè genua flectentes. Quoties verò ſe opportunitas obtulerit, evangelizent Verbum Dei.

153. Hanc profectò Deus miniſtrabit, quoties Operarii Apoſtolici, non ſua, ſed Chriſti lucra quærentes ſe prudenter ſimul, & religiosè inſinuaverint, atque virtutum exempla præbuerint, per quæ Infidelibus non minus ſanctimonia Morum, quam Doctrinæ ſplendore efficiantur Venerabiles.

SE-

SECTIO SECUNDA

Quomodo cum Ethnicis agendum, Inſtructione, an Diſputatione?

154. ETHnici, cujuſcumque Sectæ exiſtant, etſi diverſiſſima polleant conditione ſtatûs, ingenii, indolis, atque ætatis, ad duo tamen Capita poſſunt revocari: unum nimirum Hominum popularium; alterum verò Sacerdotum, ſeu Literatorum, atque Doctorum Legis.

155. Ad primum omnes reducuntur, qui Literarum cultui minimè incumbunt, nec Religionis negotia peragunt ex ſui inſtitutione, ſive Nobiles ſint, ſive Ignobiles; ſed potiùs agriculturæ, mercaturæ, mechanicis artibus, militiæ, aut politico Populorum regimini operam navant. Hi enim, etſi fortaſſe in Libris ſuis Dogmata propriæ Sectæ perceperint, atque didicerint: illa tamen à Magiſtris veluti ex fonte proprio hauriunt, atque ab ipſis inſtruuntur, ac firmantur in Doctrina ſacra, quam ſive ab ipſis, ſive à Parentibus acceperunt. Hinc Eccleſiæ Hiſtoria docemur, Imperatores, ac Principes Idololatras Templi Sacerdotibus magnopere ſemper detuliſſe, quorum impulſu Religionem Chriſti acerbè adeo perſequebantur.

156. Secundum verò complectitur illos, qui Rerum ſacrarum curam gerunt, quales ſunt Sacerdotes, ac Legis Doctores, ſine quibus, uti abſque ulla Religione ſive falſa, ſive vera, nulla Natio quantumvis barbara, atque efferata umquam audita eſt, ex Cicer. Lib. 1. de Nat. Deor. Optimè enim Tertul. Lib. 1. adverſus Marcion. *Prima*, inquit, *Animæ rationalis dos, Dei notitia eſt*: & propterea in Apo-

log.

log. ait: *Hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt*.

157. Cum priori hominum genere non adeo Rerum ſacrarum perito, neque ex inſtituto proprio Religionis curam gerente, modus agendi diverſus exigitur: Evangelium enim ipſum ſimplex, uti eſt in ſe, Veritateſque in eodem contentæ ſive credibilia, ſive agibilia ſpectemus, atque majeſtas, altitudo, ſublimitaſque Doctrinæ Cœleſtis à terrenis fœcibus alieniſſimæ, majori, qua licuerit, perſpicuitate declarari debent, atque mentibus Audientium ſuavi quadam, facilique, ac brevi methodo inſinuari.

158. Hac profectò de cauſa Conciones Apoſtolorum Catecheſes potiùs erant, ex Cornel. Alapid. Commen. ſuper Cap. 6. Pauli ad Gal. quam prolixæ Orationes, aut Diſſertationes, quibus ingenia Popularia confunduntur, magis, quam erudiuntur. Quem morem Patres Eccleſiæ ſecuti ſunt, ut Cyril. Jeroſol., Gregor. Niſſen. Auguſt., & Alii.

159. Ne verò difficultate rerum, quæ dicuntur, animi Audientium terreantur, & idcircò abſterreantur à Fide Orthodoxa amplectenda, ſimilitudinibus à natura ipſa petitis inſtruendi ſunt, atque ad Cœleſtia faciliùs percipienda manuducendi. Ita D. Paulus, ut carnis reſurrectionem ſuaderet, non ita facile perceptibilem, 1. Cor. 15. 35. utitur ſeminis ſimilitudine, inquit enim: *Dicet aliquis: Quomodo reſurgunt mortui? Inſipiens tu, quod ſeminas non vivificatur, niſi priùs moriatur. Sic & Reſſurrectio Mortuorum. Seminatur in corruptione; ſurget in incorruptione*.

160. Methodum hujuſmodi res Divinas explicandi cum ingeniis rudiorum hominum adhiberi

hiberi oportere, docet Auguſt. de Catech. rud. Cap. 9., eâque frequenter Patres utuntur: Myſteria quippe Fidei, etſi rationem ſuperent naturalem; eidem tamen oſtenduntur minimè adverſari. Ita S. Efrem de Pret. Marg. ut explanaret, quo pacto in uno Chriſto Deus, & Homo, etſi res diverſiſſimæ, adhuc tamen miro quodam inſeparabili glutine copulentur, arboris fructiferæ alteri inſertæ utitur ſimilitudine, in quibus utriuſque non minus naturæ, quam fructuum diverſitas apparet impermixta, nec tamen ſeparabilis. Gregorius verò Magnus idem Myſterium explicaturus in Job Lib. 20. Cap. 2. & in Ezechiel. Lib. 1. Hom. 2. confert ipſum cum Electro, in quo diverſa metalla conjunguntur, ex quibus tamen Electrum emergit ab ipſis diverſum. Athanaſius Quæſt. 4. ineffabile Myſterium Trinitatis explicaturus Solis utitur ſimilitudine; itaut, ſicuti Sol tribus conſtat, nempe Orbe, radio, & lumine, cum tamen ſint unus Sol: ita Sancta Trinitas tribus conſtat, nempe Patre, qui orbi ſolari, Filio, qui radio, Spiritu Sancto, qui lumini aſſimilatur: qui tamen, etſi tres Perſonæ ſint, unus tamen numero Deus dicuntur. Nazianzenus verò Orat. 37. Trinitatem comparat Fonti, Fluvio, & Rivo, qui tamen eadem ſunt aqua. Tertullianus autem contra Prax. Cap. 8. aſſimilat Trinitatem Radici, Trunco, & Ramo ejuſdem arboris. Radix Pater, Truncus Filius, Ramus Spiritus Sanctus, cum tamen eadem ſit arbor. Hoc pacto ſe cum rudibus Patres geſſerunt, & eadem ratione à Miſſionariis cum Auditoribus ſuis agendum eſt.

161. Cum poſteriori autem hominum genere aliâ viâ incedendum eſt: etſi enim multi ex ipſis ſola Evangelii propoſitione ad Chriſtum

fue-

fuerint converſi; attamen regulariter loquendo non ita facile novæ Doctrinæ aſſentiuntur, quibus ipſamet Prudentia dictat, nihil ab ipſis noviter credendum, niſi robuſta perſuaſione convictis, uti notat Auguſt. de Catech. Rud. Cap. 8. Iſti Thomam Apoſtolum imitantur, credere reſpuentes, niſi Dogmata propoſita palpent valida diſputatione. Hinc Doctores Synagogæ Divinis imbuti Literis, Paulo Concionanti nequaquam, niſi convicti, aquievere, *Quotidie*, propterea *ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent*. Act. 17. 11.

162. Gentiles quoque idipſum fecerunt: Cum enim Paulus Apoſtolus Athenas Græcorum Sapientiæ Emporium acceſſiſſet, Epicurei, & Stoici Philoſophi aut deridebant eum, aut differebant audire; etſi nonnulli ex Athenienſibus etiam doctioribus, ut Dyoniſius Areopagita, fuerint converſi. Quod quidem ſubſequentibus ſæculis Operarii Apoſtolici experti ſunt, nedum ad verbales, ſed etiam ſcriptas de Fide Diſceptationes compulſi, editis ad defenſionem Evangelii magnis Voluminibus. Difficulter ergo cum Ethnicis doctrinâ præſtantibus alea Diſputationis evitatur, ad quam proinde Præcones Apoſtolici ſe debent efficere idoneos.

SECTIO TERTIA

Quanam ratione cum Ethnicis diſputandum?

163. Ethnicos Evangelicæ Veritati, quantum eſt ex parte Doctrinæ nolle aſſentiri, ex tribus Capitibus oriri poteſt. I. Quia non apparet in ſe ſufficienter credibilis: II. Quia ipſis Ethnicis falſa in reipſa videtur: III.

III. Quia Sectam ſuam putant æquè ſaltem probabilem, quam ſit Chriſti Religio. Totidem igitur modis adverſus Ethnicos, ut eos ad ſanam mentem adducant Operarii Apoſtolici dimicare utiliter poſſunt.

164. I. Igitur modo fiet, oſtendendo ipſis, Chriſti Religionem adeo credibilem eſſe, ut nemo, qui motiva ejus credibilitatis intimè perſpexerit, denegare prudenter poſſint. Hujuſmodi autem motiva præcipua, quæ Notas Theologi appellant, Chriſtique Religionem à cæteris quibuſcumque Sectis omninò diſtinguunt, ſunt ſequentia, ex Boſio de Signis Eccleſiæ, Bellarmino Tom. 1. Controver. Lib.4. Hieronymo Savonarola de Triumpho Crucis: præcipuè autem ex Doct. Subtil. Quæſt. 3. Prolog. Lib. 1. Sent. collecta, ad quæ cæteræ aliæ Notæ reducuntur, quæ apud alios recenſentur Authores.

165. Prima ergo Nota eſt Prænuntiatio prophetica: quę enim Chriſtianę Religionis Myſteria Evangelium continet, Prophetæ Veteris Teſtamenti prænuntiarunt: quod ſanè minimè feciſſent, niſi Deum habuiſſent Authorem; igitur illa Religio, cujus Doctrina futurorum præditione infallibili multò ante fuit prænuntiata, vera, & unica Dei Religio eſt, Deum ipſum habens Authorem. Hoc Argumento utuntur Juſtin.Martyr Apol. 2. ad Anton.Pium, Lactan. Firmian Lib. 4. Divin. Inſtit. Cap.9.

166. Secunda eſt Concordia Scribentium. Nam impoſſibile videtur, plures ſcribentes, ætate, conditione, loco, tempore aliiſque circumſtantiis longiſſimè diſſitos in eaſdem res ſcribendas omninò conſpiraſſe non evidentes, ſed obſcuras, abſque eò quod unus alteri repugnet in aliquo, ut optimè in Veteribus Philoſo-

loſophis notat Auguſt. Lib. 18. de Civit. Dei Cap.41. niſi Divino Lumine illuſtrentur, Deuſque ipſe Veritatis Author mediatè, vel immediatè revelaverit. Illi autem, qui Myſteria Religionis Chriſti ſive quoad credibilia, ſive quoad agibilia ſcripſerunt, nullius contradictionis, aut inter ſe diſſidii convinci poſſunt; etſi inter ſe loco, tempore, Natione, Inſtitutione vitæ diviſi; ergo Religionis Chriſti Doctrina è Superis delapſa eſt: adeoque vera, & unica Religio, qua Deus, uti fieri debet, colitur.

167. Tertia eſt Authoritas Scribentium; minimè enim veriſimile videtur, Homines probos, & Sanctos, in quibus nec Hoſtes ipſi quid reprehenderent invenerunt, ut Moyſem, & Prophetas Veteris Teſtamenti, Apoſtolos, & Evangeliſtas Novi Promulgatores, aut mentiri voluiſſe, mendacium ipſum damnantes, aut lucri gratia hujuſmodi Dogmata ſparſiſſe, cum ipſi pecuniam, honores, corporis voluptates, auri, argentique theſauros, uti lutum calcaverint, & pro iiſdem Veritatibus tuendis necem acerbiſſimam animo lætanti plures eorum ſuſtinuerint: aut fuiſſe deceptos; quandoquidem omnes in eadem Myſteria promulganda conſpiraverint, quorum aliqua ipſimet viderunt, aut immediatè audierunt; ergo, quoniam Doctrinam illam ſibi à Deo revelatam aſſeruere veluti ad ſalutem æternam unicè neceſſariam, utique talis dicenda eſt: nemo enim cum graviſſimo damno proprio, nullaque utilitate mentiri ſolet, nec plures Viri cordati mortem ſubeunt, ut errorem tueantur.

168. Nec juvat reponere, Libros hujuſmodi Doctrinæ contentivos non eſſe Authorum, quibus adſcribuntur: nam priuſquam

illi,

illi, quibus Deus ipſam revelavit, exiſterent, aut eamdem aperirent, à nemine umquam fuit audita, vel percepta. Deinde, qua ratione negaretur, Pentateuchum fuiſſe à Moyſe conſcriptum, aut Acta Apoſtolorum Lucæ fœtum fuiſſe; negari quoque poſſet, Æneidos Virgilii, Elegiarum Libros Ovidii, Tragedias Euripidis, Philippicas Marci Tullii opus extitiſſe: cum omnia hæc à præfatis Authoribus prodiiſſe, ſola novérimus traditione.

169. Quarta Nota eſt contentorum in Doctrina Chriſtianæ Religionis Rationabilitas. Si enim operabilia ſpectemus, ſufficit Decalogum inſpicere, cujus Præcepta nihil aliud eſſe videntur, quam ipſamet Lex naturalis clariùs explicata, & cordibus hominum cujuſque generis inſculpta. Evangelium verò à Chriſto Domino cælitus delatum, Cœleſtem ſanè Doctrinam continet, qua Homines nedum probi, ſed ſancti revera, non ſpecietenus ſolummodo efficiuntur. Quid enim perfectius intelligi poteſt, & eminentius, quam parcere Inimicis; benefacere nedum iis, qui oderunt nos, ſed etiam pro iis vitam profundere, atque Altiſſimum exorare, alteramque maxillam præbere percutientibu? Quid ſublimius, quam honores abjicere, contemnere divitias, voluptates omnes invictâ conſtantiâ aſpernari, ac cum Hominibus degentes Angelicam redolere puritatem, Vitamque agere omninò Cœleſtem? Neque hæc idealis omninò, atque Platonica perfectio eſt, quam Viri quamplurimi ſecuti ſunt, & actu ſequuntur, tanta morum ſanctimonia fulgentes, ut ab ipſiſmet Hoſtibus Fidei etiam invitis venerationem ſummam extorſerint, actuque extorqueant; ergo Lex illa, quæ documenta tam ſalutaria, puriſſimaque miniſtrat,

Viroſ-

Viroſque efformat adeo morum Sanctitate, ſplendentes, non minùs vera, quam Cœleſtis, atque à Deo dimanans eſſe poteſt. Neque enim eſt veriſimile decipi eos, quorum Lex adeo apparet incontaminata: nec verum Deum non eſſe illum, qui Philoſophiam tam excelſam, atque humanæ corruptioni repugnantem revelavit. Hoc Argumento utuntur Tertul. Apol. cont. Gen. Cap. 39., & Juſtinus Martyr Apol. 2. ad Antoninum Pium, & Alii.

170. Si verò credibilia perpendamus, etſi aciem humanam, utpote Divina excedant; rationi tamen naturali nequaquam evincuntur adverſa, imò congruere multa dignoſcuntur, utpote infinitam Dei Juſtitiam, Sapientiam, Omnipotentiam, Immenſitatem, Miſericordiamque commendantia, modumque tradentia Numen ſupremum, Fide, Spe, Charitate, cæteriſque Virtutibus colendi, cujus exiſtentiam ipſamet ſtructura admirabilis, regimenque Univerſi, ſatis apertè commendant.

171. Quinta eſt Irrationabilitas Sectarum Chriſti Religionem minimè ſequentium. Impoſsibile eſt enim ullam Sectam à Deo revelante, aut inſtituente prodiiſſe, ut Sectatores ad fœlicitatem, ac beatitudinem Æternam adducat, in qua multa continentur abſurda lumini ipſi, atque æquitati naturali repugnantia. Sectas verò à Chriſtiana Religione alienas multa hujuſmodi continere, quiſquis vel leviter inſpexerit, optimè dignoſcet: Miſsionarii ipſi eaſdem ab viſceribus perſcrutantes, quam fœdæ ſint, proculdubio animadvertent; igitur, cum motivis careant rationabilis credibilitatis, utique non veram Religionem, ſed Synagogam potius Sathanæ oſtendunt.

172. Neque Sectas hujuſmodi excuſat anti-

qui-

quitas, aut Virorum egregiorum, quibus abundaſſe videntur, ubertas, qui Religionem Chriſti, aut minimè agnoverunt, aut agnitam contempſerunt. Neque enim mirum eſt, Doctrinam omninò Cœleſtem, carniſque cupiditatibus, atque humanæ Superbiæ repugnantem, aut minimè agnitam, aut habitam in contemptu.

173. Quod verò Doctiſsimis Hominibus alienæ à Chriſtiana Religione Sectæ abundaverint, utique verum eſt: at illi neque ita docti fuere, ſicut, qui Chriſti Eccleſiam illuſtrarunt, nedum prophana Ethnicorum, ſed Divina quoque Sapientia fulgentes, quam ipſimet Hoſtes in Baſilio, Ambroſio, Auguſtino, Origene ſunt admirati: neque eoſdem turpitudo Sectarum, quas ſequebantur, omninò latuit, ut de Avicenna 9. Metaph. cap.7. Legis Mahumeticæ mentionem faciente. Quantum verò ad Ethnicos de Socrate narrat Laertius, idcircò ab Athenienſibus damnatum, quia patria Numina, ideſt Idola reſpueret: Plato eiſdem cultum impendi cenſuit, non quia illum mererentur, ſed quia Magiſtratus id imperabat, apud Euſeb. de Præpar. Evang. lib.13. cap.8. Idipſum Cicero aſſeruit, de Nat. Deor. lib.1.

174. Eos autem Sectæ propriæ nequaquam abrenuntiaſſe, id contingere potuit, vel quia ipſis Chriſtus minimè fuit annunciatus, vel ob eorum ſcelera, atque ingratitudinem minimè ſibi annuntiari meruerunt; vel Gratiam demeriti ſunt efficacem, ut crederent, etiamſi fuiſſet annuntiatus, & politicis moti rationibus, ne terrena amitterent, munera pretioſa veræ Fidei, atque Religionis, quibus ad Cœlum aperitur acceſſus, infeliciter perdiderunt, & in dies amittunt.

175. Sexta

175. Sexta eſt Stabilitas Eccleſiæ. Cæteræ enim Sectæ, aut interierunt omninò, vel ſi adhuc vigent, id contigit, quia ſenſuum voluptatibus indulgent, & potentiâ Magnorum Principum invictè ſuſtinentur, qua deſtitutæ paulatim, & facillimè interirent. Religio autem Chriſtiana, etſi auſtera, rigidaque doceat, ſive in credendo, ſive in agendo, Magnorum Principum, & Regum perſecutionibus fuerit agitata; ejuſque Sequaces exilio, cruciatibus, omnium bonorum direptione, neceque horribili fuerint vexati, adhuc immota perſeverat: fuitque in Orbe Univerſo propagata, non armorum fragore, non eloquentia alliciente, non humana calliditate, non dolis, non ſplendore divitiarum, non formidine, ac viribus Potentiæ temporalis: ſed ab Hominibus paupertate gloriantibus, idiotis, conditione vilibus, humanâ prudentiâ deſtitutis, animo ſimplicibus, atque candidis, nullo externo fretis auxilio; Philoſophis contradicentibus, adverſantibus plerumque Sæculi Principibus: Plantatio autem, & Propagatio hac ratione confecta naturæ viribus haberi nec poteſt, nec potuit, ſicut cæteræ Sectæ nativitatem, & progreſſum habuerunt; igitur Chriſti Religio nullis humanis adinventionibus ortus ſui, & incrementi debitrix, à Deo ſolo profecta eſt, ipſumque agnoſcit Authorem; adeoque ſola Chriſti Religio vera dicenda eſt, & unica Beatitudinis æternæ aſſequendæ norma, atque Cultûs Dei indubitata Regula.

176. Septima eſt Gloria Miraculorum. Illa enim Religio Deo ſoli adſcribenda eſt revelanti, ac proinde uti vera, & unica habenda, pro cujus comprobatione, multa, quæ Naturæ vires omninò ſuperant, acta ſunt à Dei Famulis, ejuſdem

Nu-

Nomine invocato, cum ipſe ex intrinſeca ſua ratione verax falſitatis eſſe teſtis nequeat: at in comprobatione Chriſtianæ Doctrinæ multa, imò innumera nedum à Chriſto, verum etiam Apoſtolis, pleriſque Sanctis Viris ab exordio naſcentis Eccleſiæ, uſque ad noſtra tempora patrata ſunt, ut Cronica ipſa eorumdem, & externæ quoque Hiſtoriæ fatentur: hinc Chriſti Cultores, uti ipſemet Chriſtus Lucæ 11. 15. veluti Magi, & Incantatores traducebantur; igitur Religio Chriſtiana à Deo ipſo Miraculis comprobata, vera eſt, & unica ratio Deum colendi, æternamqne ſalutem conſequendi.

177. Nec hujuſmodi Miracula Dœmonum opera dici poſſunt, cum ipſi Chriſtum oderint, ejuſque Cultores, nec à Dœmonibus fieri poſſunt, qni mortuos ſuſcitare, cæcos à nativitate, vel alia incurabili infirmitate detentos curare numquam ſunt auditi.

178. Si verò per abſurdum hujuſmodi miracula denegentur, quæ tamen niſi cum ignominia ab Hoſtibus Chriſti fingi nequaquam potuerunt, ut Hiſtoriæ, Cronicæque antiquiſsimæ enarrant; hoc eſt omnium Miraculorum maximum, ut acutè ait Auguſt. lib. 22. de Civit. Dei cap. 5. Religionem adeo ſublimem, Carni, & Sanguini adverſam ab innumera ex omni hominum genere, ſive nobilium, ſive ignobilium, pauperum, & divitum, doctorum, & indoctorum multitudine fuiſſe ſuſceptam, atque in dies ſuſcipi, tenaciterque ſervari abſque opibus, eloquentiâ, callidate, aut armis inductam. Hoc Argumento utuntur Iren. lib. 2. cap. 56., Chryſoſt. Hom. 3. in 2 ad Corinth., Auguſt. cont. Fauſtum, & Alii à Scholiaſte in Quæſt. 3. Prol. Doctor. Subtil. congeſti; igitur concludendum eſt, Chriſtianam Religionem

eſſe illam veràm, & unieàm per quàm ad ſalutem æternam patet acceſſus.

179. Octava eſt Martyrum Conſtantia. Inveriſimile quippe omninò videtur innumeras propemodùm myriades hominum ex quacumque conditione, genere, ac habitudine nedum virilis, ſed infantilis quoque ætatis animo libenti, nedum morti !, ſed cruciatibus ſæviſſimis, atque diuturnis ſe ultro exhibuiſſe, & nedum patienti, ſed hilari animo uſque ad finem ſuſtinuiſſe, rebus omnibus etiam cariſſimis abjectis, atque calcatis pro tuenda Religione, quæ aut falſa eſſet, aut humana tantummodò acie, inventa. Quis enim eam invictam, atque inſuperabilem miniſtraret animi fortitudinem, quam in ceteris Sectis profectò nec videmus, nec vidimus? à Superis ergo pretenda eſt, unde trahit originem; adeoque illa eſt vera Religio, quæ hujuſmodi fortitudinem inſpirat, & præbet: at pro tuenda Doctrina Chriſt. Relig. innumeri ex omni Natione, conditione, ætate, Viri, Adoleſcentes, Pueri, tenellæ Virgines, Senes imbecilles, Mulieres debiles, Senatores, Principes, Milites, Ignobiles, Nobiliſſimi, Doctiſſimi, atque Prudentiſſimi, ſpreta re familiari, Filiis, Uxore, Parentibus, voluptatibus, honoribus, vitæque ipſius nulla habita ratione: Fidem Chriſti ſuſceptam nedeṭelinquerent, vincula, carceres, ungulas, cruces, ignem, membrorum laniationem, ſubmerſionem, ſuſpendia, pleraque alia inaudita ſupplicia, mortemque ipſam lætabundi nedum ſuſtinuerunt, ſed alacri animo provocarunt: quam quidem Animi fortitudinem etiam hæc poſtrema tempora in Japponia, India, multiſque aliis Regionibus Hoſtes ipſi ſunt admirati; uti plures ex antiquis, viſa Martyrum fortitudine, ex

tor-

tortoribus in Fidei teſtes, ſanguine profuſo, fuere converſi; ergo Religio illa miram hanc ſtrenuitatem inſtillans, & præbens, Divina eſt, non humanitus inventa. Tot enim Viros, Doctrinâ, Prudentiâ, & Sanctitate illuſtres, qui Fidem hanc atrocium adeo cruciatuum, ac necis acerbiſſimæ tolerantia ſubſignarunt, ſtultos fuiſſe, atque imprudentes, nemo, niſi dementiſſimus, dixerit.

180. Si verò aliqui, uti de Marcionitis narrat Clem. Alex. lib.4. Strom., qui pro ſuis Sectis ſuſtinendis ultro ſe morti ſubjecerint, fuerint inventi, vel pauci fuerunt, & viles, atque inanis gloriæ cupidi, opinioniſque ſuæ ab ipſis inventæ ſtulti adoratores: vel coacti ſubire mortem, conſtantiam jactarunt in caſu inevitabili: vel omnem lapidem moverunt, ut infortunium, cui ſubdebantur, excuterent: quæ omnia Chriſti Martyribus, neque ab ipſiſmet Inimicis objecta ſunt.

181. Ultima tandem Nota eſt plurium Hominum graviſſimorum mutatio, qui tametſi Prudentiâ, Doctrinâque fulgerent inſigni, miroque modo Sectæ propriæ veluti veriori adhærerent, auditâ tamen Chriſti doctrinâ, eidem nomen dederunt, priori derelictâ, etſi multoties rei familiaris, dignitatum, aut voluptatum, quibus abundabant, periculum ſubirent, abjectumque plerumque ſtatum ſuſcipere cogerentur: hoc autem, non inconſtantiæ adſcribendum eſt; alioquin non Chriſti Religionem difficiliorem, ſed aliam ex pluribus non adeo aſperis elegiſſent: maximè quia id non fecerunt, niſi exquiſito prius examine inſtituto: neque etiam viribus naturæ tribui poteſt: hæc enim ad voluptates, honores, divitias capeſſendas inclinat, non verò ad paupertatem, & dejectio-

 nem

nem ſui; ergo mutatio illa non Naturæ, ſed Gratiæ Authori adſcribenda eſt; ergo Lex iſta convertens Animas, atque in meliorem frugem reducens, nempe Chriſtiana Religio, eſt vera illa Religio, qua Deus ritè colitur, & aquiritur vita immortalis, quæ Veritatem ex corde inquirentibus oſtenditur, eamque, præmiſſo diligenti examine, Viri Magni amplexi ſunt: quam quidem mutationem ſola Excelſi dextera potuit operari.

182. Accedit, ad alias Sectas Tranſeuntes aut pejores in moribus fieri, aut ſaltem nullo modo meliores. Qui autem Chriſti Fidem ſuſcipiunt, neceſſariò vitam ſuam corrigere debent, aut à Chriſtianorum cœtu omninò expelluntur. Propterea plerique Baptiſmate accepto, nedum pravas abjecere, quibus ante imbuti erant opiniones, verum etiam Homines Sancti evaſerunt, cum Gentilium omnium admiratione, uti de Fidelibus Tunchinenſibus P. Joannes Philippus de Marinis clariſſimæ Societatis Jeſu in Regno Tunchini, & adjacentium Miſſionarius refert in libro ſuo de Miſs. Tunchin. quod quidem etiam in Primitiva Eccleſia viſum eſt, ubi Carnifices in Martyres, Magi verò, & Publicani in Apoſtolos, & Vaſa electionis emerſerunt; ergo Religio, ex qua mutationes adeo mirabiles fiunt, eſt vera Religio à Deo ipſo revelata, unicaque ad Cœlos ſemita.

183. Hæ ſunt Religionis Chriſti Notæ, quibus à Sectis prophanis minimè Chriſtum adorantibus, ejuſque Eccleſiam agnoſcentibus ſecernitur; adeoque perſpicuæ ſunt, ut Richardus à Sancto Victore 1. de Trinitat. cap. 2. Deum alloquens, de ejuſdem Dogmatibus aſſerere auſus fuerit: *Domine, ſi eſt error, à te decepti ſumus; nam tantis ſignis confirma-*

ta

ta ſunt, quæ non niſi per Te fieri poſſent.

184. Adſunt quoque Notæ Eccleſiæ Catholicæ, quæ ipſam ab omnibus Hæreticorum Synagogis perſpicuè diſtinguunt: nempè, quæ in Symbolo Nicæno continentur, quod nimirum ſit Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica. Has egregiè callere debent Apoſtolici Operarii adverſus eos dimicantes, & videri poſſunt apud celebres Controverſiſtas, Bellarminum, Bovetium, Turrecrematam, & Alios. His adeo conſtricti tenentur Hæretici, ut numquam quidquam ad propoſitum reponere queant.

185. Curent ergo Miſſionarii Apoſtolici profundam de Chriſtianæ Religionis, Chriſtique Eccleſiæ Notis cognitionem aquirere, qua comparata, longè fructuoſiùs cum Ethnicis, & Hæreticis laborabunt, quam prolixis Diſputationibus odium, atque invidiam potiùs adverſus Sacros Præcones plerumque excitantibus, quam frugem afferentibus.

186. Porrò Sectas minimè in ſeipſis inſectando in exordio Concionum, ſed ſolummodò Sanctitatem, atque Majeſtatem Chriſtianæ Religionis explicando, nullâ Infideles affecti contumeliâ, aut convertuntur ad Fidem, aut ſaltem patiuntur illam promulgari, veluti Doctrinam bonam, rationi naturali congruentem, neminique afferentem offenſionem. Quem modum agendi valdè profuiſſe Infidelium Converſioni, narrat præfatus P. Joannes Philippus de Marinis Lib. 2. cap. 8. Miſſion. Jappon., declarando nimirum Dei Legem, nulla de Sectis peculiaribus facta mentione, niſi poſtquam eos Doctrinæ Orthodoxæ benè affectos animadverterint. Tunc enim gradum faciebant facultatem ab eiſdem poſtulantes oſtendendi, Sectas eorum Veritati, quæ unica eſt, adverſari: inde fit, abſque

 offen-

offenſione ulla compelli Ethnicos proprio eorum judicio fateri, ſe hactenus fuiſſe deceptos.

187. Iſte differendi modus aptior eſt, & Naturæ conformior, qua docemur, ad hoc ut forma vetus expellatur, introduci novam oportere veteri incompoſſibilem; ipſos Apoſtolos ita egiſſe Chriſtum annunciantes, nulla penitùs adverſus prophanas Deitates in exordio Sermonum facta objurgatione, ſcribit Baron. Tom. 1. Annal. ad Annum Chriſti 77. num. 179.

SECTIO QUARTA.

Proponuntur cæteri modi cum Ethnicis quibuſcumque diſputandi.

188. Non ſemper inſignibus Chriſti Religionis Dotibus, ac Notis Ethnici moventur, vel quia eas minimè percipiunt, vel quia non rectè proponuntur, vel quia malunt in ſenſu ſuo abundare; igitur alia ratione dimicandum eſt: duos idcircò alios differendi modos propono.

189. Primus igitur modus ſumitur ex falſitate, quam Ethnici objiciunt Chriſtianæ Religioni, Argumentis à ratione petitis, quibus eam oſtendere nituntur, ſubſiſtere nequaquam poſſe: quibus, cum Miſſionarii ſatisfacere teneantur, oritur inevitabiliter diſputationis neceſſitas. Verum pugnandi hæc ratio cæteris minùs ardua videtur: manet quippè in pura defenſione Veritatis, non in falſitatis oppugnatione. Cum autem Ethnici ſint Actores, ad eos pertinet evidenti ratione falſitatem Religionis à Miſſionariis annuntiatæ oſtendere; ipſi verò objectis tantummodo ſatisfacere, non quidem evidenter fallacitatem Argumentorum evincendo;

do; alioquin Myſteria ipſa manifeſtè conſtarent, quod omninò falſum eſt: ſed oſtendendo non conſtare de falſitate, tametſi non conſtet de ipſamet Veritate, quæ ſola Fide percipitur.

190. Itaque in hujuſmodi Diſceptatione Miniſtros Evangelicos expectare tantummodo opus eſt, quid Ethnici objiciant, & nodos difficultatum, quas proponunt, nervosè, perſpicuèque diſſolvere, non autem evidenter Veritates ipſas evincere, quas proponunt.

191. In hoc autem agone multum Theologiæ Scholaſticæ, imò & Philoſophiæ naturalis peritia proderit; quam tamen Miniſtri Apoſtolici minimè adhibeant, niſi ut ſagittas in Adverſarios ipſos ſcitè retorqueant, & infirmitatem apertè detegant hoſtilium Argumentorum, eamque familiarem efficiant, ne horrore ſubtilitatis abrepti Gentiles declinare certamen callidè ſatagant cum Fidei Orthodoxæ jactura.

192. Quod ſi contingat interdum, Argumenta Infidelium non ita perſpicuè diſſolvi, ut omnis ſcrupulus auferatur, aut intellectus eorum omninò conquieſcat, iidem monendi ſunt, Chriſtianæ Religionis Arcana, non quidem naturali rationi adverſari, at ſuper ipſam adeo extolli, ut acies creati intellectus ad ipſa viribus propriis penetranda nequeat aſſurgere. Neque hoc mirum videri debere, cum plures naturales Veritates aliundè nobis obviæ, ſenſibuſque expoſitæ, adhuc tamen penetrari nequeant, & in puteo Democriti ſepultæ deliteſcant, de quibus optimè Seneca lib. 7. Nat. Quæſt. cap. 31. *Oculos, inquit, noſtros, & implent, & effugiunt:* Et paulò poſt: *Illa Arcana non promiſcuè, & omnibus patent. Reducta, & interiori Sacrario clauſa ſunt.*

193. Secundus diſputandi modus offenſivus

 eſt;

eſt; cum nimirum Caſtrà ipſa Adverſariorum Evangelici Præcones adoriuntur impugnando poſitivè Sectas veræ Religioni oppoſitas, earum falſitatem, abſurditatem, & ipſimet lumini naturali repugnantiam ab intrinſeco oſtendentes adeo, ut, etſi Chriſti Fides minimè exiſteret, adhuc tamen Sectas illas omni convincunt indignas veneratione.

194. Hic profectò diſputandi modus utiliſſimus eſt; viſcera quippe erroris, ac inanis ſuperſtitionis acutiſſimo cuſpide pervadit. Nam, etiamſi non ſemper hoſtes ſtatim eo proſternautur: multi quippe, quamvis in conflictu literario ſuccubuerint, minimè patiuntur, dici convicti, ac Veritati ſtatim aſſentiri; Auditores tamen ipſorum infirmitate, atque abſurditate Doctrinæ, qua fuerant imbuti, percepta, ſtatim convertuntur ad Deum; vel ſaltem de ipſius vera Religione pravam opinionem, quam habebant, deponunt, ac dubitare ſaltem incipiunt: quodquidem aliquale Converſionis principium eſt, ex dubitatione enim ad inquiſitionem, ab hac ad Veritatem ipſam capeſſendam perveniri facile poteſt, Dei auxilio miſericorditer præeunte.

195. Ut tamen hujuſmodi Diſputationes cum fructu, Eccleſiæque decore ſuſcipiantur, Apoſtolici Miſſionarii Sectarum, quas aggrediuntur, medullam perſpectam ſibi, atque exploratam habere debent, alioquin ulcera quidem cutis, non tamen interiora corporis vulnera detegent; adeoque neque valebunt perfecta ſanitate curare.

196. Cum ergo Ethnici moderni antiquis, qui Doctrinâ eximiâ præfulſerunt, nequaquam ſint eminentiores: quemadmodum antiquis Eccleſiæ Doctoribus Juſtino, Origeni, Lactantio,

Athe-

Athenagorę ipſorum deliria in cineres reducere datum eſt : ita Miſſionariis quoque idipſum licebit , quoties eruditione præſtantes , zeloque armati Divini honoris , ſalutiſque Animarum adinventiones Infidelium proſternere conabuntur in pondere rationum , non in mordacitate , aut vaniloquentia Sermonis vim facientes : hac enim ad iracundiam provocantur, non ducuntur ad Deum .

197. Si quis autem ſciſcitetur , quinam ex tribus modis ſit eligendus ?

198. Reſp. Fixam in hoc regulam ſtatui non poſſe : multi enim plenè ſibi ſatisfactum putabunt erga veram Religionem aliunde propenſis, quoties Argumenta contra ipſam ex ratione petita diſſolvantur, itaut nihil in ea detegant abſurdi : quibus propterea prudentia utentibus ſecundus diſputandi modus congruit .

199. Cum Aliis verò in opinione propria fixis, qui Religionem , quam profitentur , optimam exiſtimant , alias verò contemnunt , tertius diſputandi modus eſt adhibendus , quo nimirum , ipſiuſmet Naturæ lumine præeunte , Sectæ , quibus ſunt addicti , oſtendantur , nedum minùs probabiles , ſed omninò abſurdæ , inſanæ , ipſiquemet diſcurſui naturali adverſantes ; quo pacto Veteris Eccleſiæ Doctores cum Ethnicis dimicarunt : poteſt enim contingere , ut benè perſpecta Sectæ , quam ſequuntur , abſurditate , Evangelicæ Veritati manum præbeant .

200. Alii autem prudentiâ preſtantes , animoque ornati compoſito , & moderato , nec rebus propriis ita tenaciter adhærentes , ut Veritatem cognitam reſpuere velint , primo diſſerendi modo convincuntur : nemo quippè , niſi protervus , & inſanus , ut falſam repellere au-

det Religionem, quam omnia excogitabilia motiva ſummè credibilem oſtendunt. Et revera ex ſapientibus, qui ad Fidem Orthodoxam convertuntur, pauciores diſputatione poſitiva, plerique hac negativa, ac ſuavi explicatione Signorum Eccleſiæ, nudeque ipſius Veritatis propoſitione ſe Chriſto ſubdidere, uti contigit Philoſopho illi, de quo refert Ruffin. Lib. 10. Hiſtor. Eccleſiaſ. Cap. 3. qui Patrum Doctiſſimorum Argumentis facilè retuſis, uni ex Epiſcopis Viro ſimpliciſſimo Symbolum Fidei purè proponenti ſtatim ceſſit, arma abjecit, ſeque victum felici calamitate faſſus eſt. Ait autem ad rem noſtram mutationis cauſam aſſignans: *Donec verbis mecum geſta res eſt, verbis verba oppoſui: ubi verò pro verbis proceſſit virtus ex ore dicentis, non potuerunt verba reſiſtere virtuti, nec homo adverſari potuit Deo.*

201. Itaque, à circumſtantiis præſcindendo, prima differendi ratio præ cæteris videtur eligenda, quin ad ſpecialem cum ipſis Diſputationem deſcendatur: proponendo nimirum motiva credibilitatis Fidei Orthodoxæ: quibus rectè oſtenſis, atque ab Auditoribus ritè perceptis, apparet Catholica Religio cælitus delapſa; cæteræ verò Sectæ ab ea diſtinctæ, ipſique adverſantes eo ipſo deſinunt eſſe credibiles, cum Veritas unica ſit, & omninò indiviſibilis. Ut autem Adverſarii evincerent, Sectam propriam æquè eſſe probabilem, probare deberent, iiſdem Notis fulgere: quibus nitet Religio Orthodoxa, quod ſanè numquam præſtabunt, nec ullo pacto præſtare poſſunt.

202. Concludendum eſt ergo, modum hunc cum Ethnicis differendi aptiſſimum eſſe, dum illos ad Veritatem ducit agnoſcendam Argumentis, quibus refragari nequaquam poſſunt,

abſque

abſquè diſcriminè eoſdem irritandi diſceptatione Sectas ipſas quoad intrinſeca impetente, quæ magnis plena eſt periculis, ſi Hoſtes Viri ſint, Operarii autem Apoſtolici non admodum docti, nec ea pollentes ingenii promptitudine, quæ ad hujuſmodi certamina cum fructu, vel ſaltem citra dedecus obeunda, neceſſaria cenſetur.

203. Satagant igitur Miniſtri Apoſtolici Notas hujuſmodi perfectè callere, ut iiſdem imbuti Ethnicorum, quos aſſumpſerint ad Chriſtum ducendos, ac Fide Chriſti erudiendos, faciliùs ad caulas Eccleſiæ perducant. Iſte videtur verus modus Evangelium proponendi, & Fidei ipſi conſentaneus, ut Ethnici credant, non tamen imprudenter: quod fortaſſe, quantum ad Miſſionarios attinet, eveniret, quoties Evangelica Doctrina, abſque Notis, quibus exornatur, & à cæteris Sectis diſtinguitur ſive Infidelium, ſive Hæreticorum, exponeretur.

SECTIO QUINTA

Quonam pacto cum Hæreticis agendum?

204. LOngè difficiliùs eſt devios à Religione Orthodoxa, cujus olim fuere Sectatores, ejuſdem gremio reſtituere, quam Ethnicos, qui eidem numquam adhæſerunt, adducere; uti difficiliùs eſt ad Exercitum tranſfugas reducere, quam milites novos conſcribere. Hæretici enim peculiaribus motivis urgentur, ut Catholicæ Chriſti Eccleſiæ gremium effugiant.

205. I. Quia nulla datur cupiditas, quæ difficiliùs, acriorique animi cruciatu proſternatur, quam ſuperbia, qua ſuper cæteros, ſive doctrinâ, ſive ingenio, vel imperio cupimus

 extol-

extolli: hinc videmus homines aliorum vitiorum domitores, huic tamen miserè ſuccubuiſſe, uti de Joanne Jejunatore Magnus Gregorius deplorabat. Hoc inſano tumore Hæretici inflantur, qui prudentiſſimi in oculis ſuis Eccleſiam ipſam, ejuſque Paſtores docere præſumunt, atque erroris arguere. Cum ergo iſti captivare nolint intellectum in obſequium Fidei, difficulter quoque ad Eccleſiam redeunt, quoniam fateri ſe cecidiſſe in errorem, morte ipſa putant acerbius.

206. II. Quia juxta Taciti effatum in Agricola, humanæ perverſitatis proprium eſt odiſſe, quem læſeris, à quo cenſetur pariter odium rependi. Hæretici autem, cum graviſſimè ſe noverint Eccleſiam læſiſſe Altare contra Altare erigentes, ſicuti putant odio haberi, ita eam vatiniana proſequuntur averſione, modiſque omnibus conantur exſcindere, Fideleſque omnes ab ejuſdem ſocietate revocare.

207. III. Quia Eccleſiam ſcelerum ſuorum Judicem, ac Vindicem ſeveriſſimum formidant; propterea Nuntios ipſius audire, monita ſalutaria recipere abhorrent, & quaſi phrenetici in Medicum inſanientes, qui venit curare eos, ipſius paternas, mediis Miniſtris ſuis, porrectas inſinuationes, furibundi repellunt, veluti Serpentis inſidias.

208. Quia tamen juxta Magnum Auguſtinum ſuper Pſal. 54., novit optimè Eccleſia, nullius Peccatoris, quicumque ille ſit, quouſquè vixerit, correctionem eſſe deſperandam; ideireò reductioni quoque Hæreticorum fervida incumbit Charitate, atque, ut ad Chriſtum revertantur, Operarios Apoſtolicos non deſinit ad eos dirigere. Modum igitur hìc proponimus, quo Miſſionarii Apoſtolici ſe gerere debeant

beant cum Hæreticis, ne indecorè munere ſuo fungantur.

209. Quoniam verò ipſimet Sectarii diverſæ ſunt conditionis, & habitudinis: multi enim non proprio marte ab Eccleſia diſceſſerunt, ſed à Progenitoribus ſuis in Hæreſi enutriti, ab iis quoque odium adverſus Dei Eccleſiam infauſta hæreditate traxerunt; eique ſicuti Paulus agebat, ex mera ignorantia adverſantur: Alii è contra non ex nativitate didicerunt errores, ſed paſſione aliqua commoti, aut illecebris ſæculi allecti, aut malitia ipſa, vel Dœmonis inſtigatione obcæcati Catholicæ Religioni, in qua fuerant enutriti, valedixerunt; attamen Veritatem in ſe minimè odio habent; putant tamen Sectam ſuam æquè bonam, atque Catholicam, durumque exiſtimant, ab Inſtituto, quod aſſumpſerunt, recedere cum Populi deriſione, vel ob alia politica motiva, puta, ne levitatis accuſentur; ne Primatibus diſpliceant; ne honoribus deſtituantur, & alia hujuſmodi. Alii tandem, cujuſmodi ſunt Duces, Magiſtri, atque Doctores, ita in opinione ſua fixi permanent, ut Sectam ſuam, nedum ut bonam, ſed ut optimam cuicumque præferant, nec ab ea divelli queunt, niſi convicti.

210. Cum prioris generis Sectariis benignè admodum agendum eſt, præſertim Orientalibus, qui ignorantia potiùs, quam pravitate animi delinquunt, Vitæque magis tranſigendæ intenti ſunt, à Barbaris oppreſſi, quam Dogmatibus tractandis; oſtendendum igitur ipſis eſt pedetentim, & cum omni ſuavitate, quam longè à ſemita Veritatis deflectant. Inſinuandum ipſis, eorum Majores, Viros Magnos, qui Eccleſiam Orientalem illuſtrarunt, imò

Uni-

Univerſali quoque præfulſerunt, Athanaſium, Baſilium, Nazianzenum, Chryſoſtomum, cæteroſque Doctiſſimos, & Sanctiſſimos Viros, Sancti Petri Cathedram magna proſecutos veneratione, atque viciſſim ab ea ſumma fuiſſe benevolentia dilectos. Novatores, qui prophanam ipſis Doctrinam propinarunt, non Gregis Paſtores, ſed Lupos extitiſſe, quales fuere Neſtorius, Eutyches, Dioſcorus, Acatius, Macarius, Photius, Aliique hujuſmodi furfuris homines, qui non minùs moribus, quam doctrina fœdiſſimi ab ipſamet Eccleſia Orientali fuere damnati; eorumque propterea pudere deberet veſtigia calcare: Religionem Orthodoxam, quam Sancta docet Eccleſia Romana, vetuſtiſſimam eſſe, eamque ipſam, quam Chriſtus, & Apoſtoli docuere: Eccleſiam Romanam nequaquam Novercam eſſe, ut ipſi putant, ſed Matrem piiſſimam omnium Fidelium, quos propterea materno ſemper amore complexa eſt, etiam errantes, ſibique interdum acerbiſſimè injurios, eoſque ad caulas Domini ſemper reducere magno ſuo incommodo conatá eſt, etſi pro beneficiis probra, hoſtileſque inſectationes frequentiſſimè rependerentur: ab Eccleſia Romana minimè Orientalem contemni, imò ſummo pretio haberi, ſolummodò errores diſplicere, quæ in eam irrepſere, Orthodoxæ Fidei repugnantes; hinc Collegium Græcorum ali, in quo adoleſcentes vera non minùs Religione, quam eruditione imbuuntur, Orientalis Eccleſiæ Ritu detento: in Collegio autem Urbano de Propaganda Fide aliarum quoque Orientalium Nationum Juvenes enutriri, Orthodoxæ Fidei, citra Ritus Orientalis ullam læſionem, pugiles futuros: nec ullam Nationem D. Petri ſubſidio, ac patroci-

nio

nio carere, ut optimè Sanctus Martinus Papa coram Monothelitis captivus Conſtantinopoli aſſeruit, apud Baron. ad Annum Chriſti 445. Tom. 8. Annal.

211. Secundi generis Hominibus inculcaré debent Apoſtolici Operarii, in electione Religionis, qua itur ad Vitam Æternam, non ſufficere quamcumque probabilitatem; ſed quęri oportere majorem, cum agatur de ſumma rerum omnium, nempe æterna ſalute ex fide recta pendente: eos propterea non eſſe in conſcientia tutos, dum in propria conquieſcunt, cum optimè ſciant, dari Fidem Romanam antiquiſſimam, quam ipſorum Majores ſecuti ſunt: Veritatem eſſe unicam, nec oppoſito itinere pergi ad Deum poſſe: teneri propterea ulteriorem diligentiam adhibere pro ipſa invenienda, comparando Sectam propriam cum Doctrina, quam Eccleſia Romana profitetur, cujus inſignes prærogativæ adeo præfulgent, ut à nemine prudente reſpui poſſit: Plures ex Eccleſia Orientali Doctiſſimos, ut Joannem Veccum, Beſſarionem, & alios, etſi in Schiſmate enutritos, de Secta ſua dubitaſſe, diligentiam ulteriorem adhibuiſſe, ac Veritate inventa, Eccleſiæ Romanę adhæſiſſe: Denique tametſi ęqualis appareret probabilitas, adhuc Romanam Religionem eſſe capeſſendam, utpote tutiorem, cum eam etiam ante Schiſma Eccleſia Orientalis fuerit ſecuta, & poſt ipſum multi Viri graviſſimi eidem adhæſerint, & modo etiam conſtanter adhæreant: Romana verò Eccleſia numquam Sectam Græcorum ab ea diſſidentium viam tutam exiſtimaverit æternæ ſalutis capeſſendæ.

212. Cum igitur in arduo ſalutis æternæ negotio, quod à Religionis Veritate quoad radicem

dicem unicè pendet, nemo negligentior eſſe debeat, quam in rebus terrenis, in quibus tamen omnis ſecuritas à Viro prudenti quæritur; ita nec eligere quiſquam debet viam minùs, aut æquè probabilem, ſed tutiorem, qualis eſt Orthodoxa Religio.

213. Nec timere debent notam inconſtantiæ, aut irriſiones, & probra Populi ſubſannantis. Tum quia hæc incommoda pro ſalute æterna aſſequenda debent contemni. Tum quia omnia hæc facile devorarentur, quoties utilitas magna temporalis ex mutatione Religionis oriretur: cur igitur tanti facienda ſunt pro ſalutis æternæ conſecutione? Tum quia apud Viros ſapientes à via peſſima perditionis, quam quiſque per errorem ingreſſus eſt, recedere, ſumma cenſetur ſapientia: errare quippe humana infirmitas eſt: nolle verò errorem corrigere, diabolica perverſitas eſt.

214. Et profectò, qui Idolis, aut alteri falſæ Religioni, aut Hæreſi ex antiquis magnanima ſtrenuitate abrenuntiarunt, omniaque motiva terrena, quæ nunc objiciuntur, & converſionem impediunt, invictè contempſerunt, nedum apud Viros ſapientes, ſed ipſoſmet Hoſtes non levitatis, aut imprudentiæ, vel ruſticitatis, ſed ſummæ ſapientiæ famam compararunt: ii verò, qui ob abjectas iſtas ratiunculas in Secta ſua permanſerunt, ac in æternum perierunt, nunc ſtultitiam ſuam agnoſcunt. Sap. 5. 3. 4. *Hi ſunt, quos habuimus inderiſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: Ecce quomodo computati ſunt inter Filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.*

215. Nec ſanè ante Dei Tribunal, cui ipſi citiùs,

citiùs, quàm putent, ſiſtendi ſunt, hujuſmodi leves rationes æſtimantur, quas Martyres, & qui Vitam Æternam conſecuti ſunt flocci fecerunt. Metuebant quippè Divini Judicii ſeveritatem eos repellentis, qui ab ipſo invitati ad meliorem frugem, venire noluerunt, ut habetur Prover. 1. 24. inquit enim: *Quia vocavi, & renuiſtis &c. Ego quoque in interitu veſtro ridebo*. Et Jerem. 17. 18. *Dorſum, & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum*.

216. Cum iis, qui tertio genere concluduntur, alio pacto agendum eſt. Hi enim cum docti ſint, valdeque de ſeipſis præſumant, honorificentur quidem, ſed robuſta diſputatione cogendi ſunt ad agnoſcendam Veritatem. Premi debent Eccleſiæ Notis, quibus Cœtus ipſorum deſtituitur. Si autem hoc minimè ſufficiat, de ſingulis quoque Dogmatibus ad ſingulare certamen deſcendendum eſt, ut videant, experientiâ ipsâ edocti, quam enormiter à Veritate, ſuæque ipſius Eccleſiæ antiquiſſimæ ſenſu deflectant, ſerióque admonendi ſunt, ne in vacuum Gratiam Dei recipiant, eos ad meliora vocantis. Cum enim Religioni Orthodoxæ nihil ſolidi poſſint objicere, quod facile non fuerit diſſolutum, aut diſſolvi poſſit, nec tamen Veritati manus dare velint, ſed potius obſtinatè reſpuant, & nihilominus in ſordibus Hæreſis, & Schiſmatis manere malint, quam Fidei Orthodoxæ cervicem ſuam humillimè ſubjicere, timere debent Divini Judicii ſeveritatem, iramque Dei ſuper eos imminentem contremiſcere, dum Operarios Apoſtolicos unicè de ipſorum ſalute ſolicitos nequaquam audientes, ipſummet Verbum Dei, à quo mittuntur, contemnunt.

Quanam ratione ſit cum Acatholicis in publica gerendum Diſputatione?

217. Cum Hæreticis cujuſcumque generis effugiendam ordinariè loquendo publicam Diſputationem, experientia docemur, cum ex ea ut plurimum aut modicum, aut nihil utilitatis referatur. Rationes enim Hæreticorum vulgo ſunt plauſibiles; Catholicorum verò utpote revelatione nitentes non ita perſpicuæ: Populi verò potiùs Magiſtris ſuis antiquis favent, quam impugnatoribus Catholicis.

218. Non itaque faciles ſe Miſſionarii Apoſtolici in Hæreticis provocandis oſtendant ad publicam Diſputationem, vel ſi ultrò ab eis offeratur acceptanda, iis maximè Dotibus expertes, ſint,quę ad hujuſmodi congreſſus citra dedecus Miniſterii habendos, neceſſariæ ſunt, nempè ingenii celeritate, atque profunditate, præſtantia Doctrinæ, ingenti eruditione, eloquii fæcunditate, atque perſpicuitate ſermonis. Si tamen hujuſmodi Diſceptationes aut indicere, aut acceptare viſum fuerit, tum ſequentes Regulæ ſunt ad unguem obſervandæ.

219. I. eſt, ut numquam Operarii Apoſtolici paleſtram hujuſmodi capeſſere audeant, quin fervidiſſimæ Deo preces porrigantur, ut Militibus ſuis aciem ingredientibus opem tribuat, nec deſerat dimicantes. Hoc enim pacto Deum ipſum ad pugnandum pro ſe quodammodo compellunt, cujus cauſam agunt, & fidunt auxilio, David imitantes, qui 1. Reg. 17. 45. Goliat his verbis aggreſſus eſt: *Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo: ego autem venio ad te in Nomine Domini Exercituum,*

tuum, Dei agminum Iſrael, quibus exprobaſti. Ita Juliam Manichæam Mulierem, quæ pleroſque ſeducebat, precibus Porphirii Epiſcopi victam, lingua, auditu, vitaque orbatam, narrat Baron. ad Annum Chriſti 403.

220. II. eſt, ut cum Hæreticis congreſſuri non facile ad materias determinatas deſcendant, ſed in univerſali perſiſtant, non metu Diſputationis, cum ſumma ſit ſecuritas oſtendenda; ſed quia ita fieri oportet, ex Notis Eccleſiæ, quas in Symbolo habemus, iis autem carent Hæretici, Veritatem Fidei Catholicæ, falſitatem verò Sectæ Hæreticæ oſtendentes. Hoc pacto conſtricti tenentur, nec permittuntur ad inania dilabi, ſed fateri coguntur, ſe revera Hæreticos eſſe; quod ſanè pro ipſis, & ſequacibus convertendis magnum lucrum eſt. Qui enim ab illis Doctrinam hauſerunt, cum viderint Hæreticos eſſe, atque convinci ut tales, utique eos relinquent, vel ſi relinquere nolint, omni prorſus excuſatione deſtituuntur. Miſſionarii verò Auditores ſuos clariſſime illuminant, ipſos hactenus in errore perſtitiſſe. Hoc pacto antiqui Patres adverſus Hæreticos dimicarunt, præ cæteris Vincentius Lirinen. in aureo ſuo Opuſc. adverſus Hæres.

221. III. eſt, ut Operarii Apoſtolici Eccleſiam Catholicam tuentes, argumentationem Hæreticis relinquant, qui cum Actores ſint eam accuſantes, probare debent, quod aſſerunt, & adducere rationes veras, & legitimas, quibus moti ab ipſa, deſciverunt; quod niſi præſtiterint, jam ſunt convicti. Catholici autem, cum ſint in antiquiſſima poſſeſſione, etſi Veritatem ſui Dogmatis poſitivè nequaquam probarent, numquam convicti dicuntur, dummodo Argumenta objecta diſſolvant.

222. IV.

222. IV. eſt: Quoniàm Hæretici confuſionem amant, cùrent ſolicitè Miniſtri Apoſtolici cogere Adverſarios non turmatim, ſed ſingillatim Fundamenta ſua proponere, quibus eodem ordine ſatisfaciant, nec patiantur aliud proponi, donec primum fuerit plenè diſſolutum. Hoc enim pacto infirmitas objectorum apparebit.

223. V. eſt: Si contigerit, Miſſionarios Apoſtolicos non propugnare, ſed etiam oppugnare oportere, Leges Dialecticæ argumentationis, quantum fieri poteſt, obſervent, nec ullo modo, ut ipſorum mos eſt, patiantur Adverſarios dilabi, ſed in propoſito perſiſtere compellant; neque umquam Adverſarium dimittant, donec quantum ad id, quod propoſitum eſt, cauſa fuerit completa, & deinde ad alia deſcendatur.

224. VI. eſt: Quoties contigerit, Textus Scripturæ, Patrum, aut Conciliorum, aut aliorum Scriptorum adduci, Codices ipſos poſtulent, ſi fieri poteſt, originales, aut ſaltem citatos, cum Hæreticis ſit ſolemne Authores, & publica documenta, Scripturaſque corrumpere, ut viſum eſt in Sex. Synod. Act. 3. Quo pacto multæ fraudes ipſorum facilè detegentur.

225. VII. eſt: Quantum fieri poteſt præter arma communia uti bonum eſt Argumentis ad hominem, Chriſtum imitando, Judæos ſæpiſſimè hoc pacto confundentem, ut patet, Matth. 22. 43. ubi, ut in ſermone caperetur, vexatus, ex ipſorum verbis ſeipſum Deum convicit. Ita D. Auguſtinus Tract. 1. in Joan. circa medium ex ipſorummet Doctrina Arianos confodit, eam adverſus ipſos acutiſſimè retorquens.

226. VIII. eſt: Tametſi fervidos ſe in agone literario Operarii Apoſtolici oſtendere debent, ne cauſæ ſuæ diffidere videantur; ita

tamen modeſtè ſe gerant, opus eſt, ut inanis gloriæ, aut Hoſtem proſternendi aviditatis, neque umbra in eis appareat: hoc quippe Converſionem ejuſdem aut impediret, aut retardaret. Omnia pariter, quæ contemptum, aut offenſionem ſpirant, nimirum ſcommata, dicteria, contumeliæ, atque ſarcaſmata abeſſe debent, & ita eos caſtigatè ſe gerere neceſſe eſt, ut nihil præter Veritatem, & eorum, cum quibus congrediuntur, Æternam ſalutem concupiſcere appareant. Attamen ipſorum modeſtia ita eluceat, ut ſimul Majeſtas Catholicæ Religionis minimè dejiciatur, nec permittatur injurioſè calcari, aut calumniis iniquè peſſundari.

227. Contumeliæ adverſus privatam Miſſionarii Perſonam jactatæ, manſuetudine, qua Chriſti Diſcipulos decet, alacri animo devorentur, quo pacto Orthodoxæ Religionis commendandæ motiva præbebunt, cujus Sacerdotes inferiorum motuum abſolutam dominationem oſtendunt. Quæ verò aut Fidem Orthodoxam, aut ejuſdem in univerſali Miniſtrorum famam labefactant, inviċte retundant, alioquin Miniſtri Dei timoris arguentur, quaſi cauſæ, quam tuentur, diffidant, & vera cenſebuntur objecta, quæ r futare pertimeſcunt.

228. IX. eſt: Quoniam Hæretici, non Doctrinæ veræ, qua carent, ſoliditate, ſed cavillationibus, & æquivocationibus, omnique arte fallendi utuntur cum Catholicis dimicantes, tenebriſque Veritatem conantur obvolvere, Miſſionarii Apoſtolici ab appoſito lucem clariſſimam profiteantur, ſenſuſque ſuos ita perſpicuè aperiant, ut nulla de ipſis dubitatio ſuboriri valeat: at cogant quoque Adverſarios idipſum facere, itaut ambages omnes, latebræ, atque receſſus in aperto ponantur, nec ullum

patian-

patiantur verbum, vel minimâ obſcuritate, amphibologia, vel æquivocatione laborare, aut ſenſum aliquem ſub involucris latere, quem prodere, explicare, atque perſpicuè exponere Adverſarii non compellantur. Quo pacto fraudes eorum cum inſigni fructu Audientium detegentur, eiſque via præcludetur ulterius decipiendi.

229. X. eſt: Quoniam Hæretici, eorum, quæ in ipſorummet ignominiam acciderunt, Catholicis verò gloriam afferre poſſunt, vel augere, notitiam ſupprimere conantur, & Veritatem Actorum pervertere contendunt; Apoſtolici Miſſionarii publicam cum Hæreticis Diſceptationem habituri, ejuſdem curent Teſtes quoque publicos adhiberi, qui de geſtis in ipſa fidem faciant, ne quidquam in ea habitum aut in controverſiam vocetur, aut mandetur oblivioni. Hoc pacto Epiſcopi Catholici cum Donatiſtis Africanis diſputaturi egerunt, Honorium Auguſtum interpellantes Anno Chriſti 511. Tom. 1. Concil. Binianæ editionis: unde factum eſt, conſtitiſſe, Donatiſtas fuiſſe convictos, etſi oppoſitum ipſi audaciſſimè jactitarent.

230. Idipſum contigiſſe Epiſcopo Eboricenſi Jacobo du Peron, narrat Bail. Tom. 2. Concil. qui cum Philippum Mornæum Calviniſtam in Volumine ab eodem compoſito plures Patrum authoritates aut confixiſſe, aut corrupiſſe, aut falſaſſe apertè coram Rege, Viriſque aliis graviſſimis conviciſſet, negare autem auderet, Aſſeſſorum conſervata publica teſtificatione repreſſit, implevitque ignominia; & propterea Purpurâ Romanâ juremerito à Clemente Octavo donatus.

231. Ob hanc eamdem rationem in antiqua Eccleſia Judices cognitores dabantur, qui ex par-

parte Principis omnium in Synodo Actorum, fidem publicam facerent, quo munere in præfata collatione Chartaginenſi cum Donatiſtis habita Marcellinus Comes fungebatur. Cautè igitur in hoc Apoſtolici Operarii procedant, nec quidquam ſine Teſtibus agant cum Hæreticis publicè congreſſuri.

232. Hæ ſunt Regulæ potiores, quibus utentes in agone publico Miniſtri Apoſtolici, aut de Hoſtibus victores emergent cum Fidei Orthodoxæ utilitate, aut ſaltem cum ejuſdem dedecore nequaquam proſternentur.

SECTIO SEPTIMA

Quomodo debeat Miſſionarius Hæreticos, aut Infideles catechizare?

233. EOs, qui à Sectis Hæreticorum, aut Ethnicorum recedunt, Catholicæ Fidei Doctrina inſtrui oportere, compertum eſt. Non enim ſufficit errores abjicere, ſed etiam Veritatem addiſcere neceſſe eſt.

234. Quantum ergo ad Hæreticos attinet, Catechiſmus quidem eſt adhibendus, regulariter tamen in eo magnopere non eſt immorandum; ſufficit enim, quoniam converſi ab Hæreſi, rectè in cæteris ſentiunt, eas tantummodo illos Veritates docere, quæ falſis Dogmatibus, quibus ante fuerant imbuti, opponuntur, & ita ſolidè muniri, ut in priora in poſterum minimè labantur errata. Interdum tamen præſertim in Oriente, ubi magna credibilium regnat ignorantia, integra penes Catecheſis neceſſaria eſt; quo caſu Miſſionarii Apoſtolici Catechiſmo Bellarmini, vel aliis ſimilibus, aptè tamen, & congruè uti poſſent.

235. Si

235. Si verè contingat, Virum doctum ab Hæreſi recedere, ac petere inſtructionem, magna cautela opus eſt, uti monet Auguſt. de Catec. Rud. cap. 8. plura enim novit, quæ à Miſſionario poſſunt proponi, adeoque odiosè non ſunt repetenda. Illa igitur ſolummodò, que ignorat enucleanda ſunt, non ita tamen ſicuti fieret cum Viro indocto; ea verò, quæ ab ipſo ſciri ſupponuntur, ita perſtringi, ut videatur Catechiſta opinari ipſa minimè à Neophito ignorari; ſi autem revera illa ignoret, abſque ullo tædio addiſcit, nec Catechiſtæ fiunt moroſi.

236. Inſuper ſciſcitari Catechiſta debet, quibus motivis ad Religionem Orthodoxam accedere fuerit permotus? Illa ſiquidem patefacta, ſive Divinæ Scripturæ, ſive Primitivæ Eccleſiæ Patrum authoritas, ſivè Orthodoxæ Religionis Notæ, ſivè quidquam aliud fuerit, anſam præbebunt ulterioris inſtructionis.

237. Interpellandus tamen eſt, ut ibidem monet Auguſtinus, quinam ſint Patres, in quorum ſe lectione exercuerit? Fortaſsè enim utpote hæreſi præventus loco Patrum Hæreticos conſuluit. Si Catechiſta veros eſſe Eccleſiæ Patres agnoverit, ut Baſilium, Nanzianzenum, Niſſenum, Chryſoſtomum, aut Alios hujuſmodi, ad eorum lectionem ferventer hortetur: admoneat autem vitare damnatæ, vel dubiæ Fidei Doctores, aut ſaltem ab Hæreticis corruptos, ut Origenem, Tertullianum, Tatianum, & Alios. Ubi verò quidquam difficultatis invenerit, non ibi hærere, ſed ſtatim Eccleſiam conſulere, monendus eſt, quæ nec decipi, nec decipere quemquam valet, uti columna Veritatis.

238. Non tamen in hoc unicè ſiſtendum eſt, ſed ulteriùs progrediendum. Ipſis quippe Neo-

Neophitis inſinuandum, non ſola Fide abſque operibus Vitam Æternam comparari; ſed inſuper Divina præcepta, mandataque Eccleſiæ obſervari diligenter oportere. In hoc autem inſiſtere magnopere neceſſe eſt: Plerique enim in credibilibus modicam, in agibilibus verò maximam difficultatem experiuntur.

239. Satagant igitur Operarii Apoſtolici, quantum fas eſt, dura iſta emollire, & facere prava in directa, & aſpera in vias planas, & oſtendere ipſis, quam immeritò jugum Chriſti, quod ipſe Matth. 11. 30. dixit ſuave, intolerabile affirment.

240. Quantum verò ad Ethnicorum Inſtructionem, ipſa longè amplior eſt exhibenda, utpote à principiis Religionis ducens exordium.

241. Sciſcitari enim ab eis Miniſter Apoſtolicus debet, quare Religionem à Parentibus acceptam, modò relinquere velint? Si enim ob terrenum aliquem finem id facere detegantur, objurgandi ſeveriter ſunt, quod rebus tranſitoriis Religionem ſubjiciant, ac ſimul blandè, ut motiva temporalia in ſpiritualia tranſmutent, hortandi; præmiis æternis, ſi Deum vocantem ſecuti, æternis verò ſuppliciis, ſi refragati fuerint, propoſitis: fortaſſe enim motiva temporalia in cœleſtia tranſmutabuntur.

242. Si verò Chriſti Fidem ob incentiva ſupernaturalia, ſpem nimirum æternæ felicitatis, vel horrorem ſuppliciorum æternorum, aut pulchritudinem ipſiuſmet Religionis Orthodoxæ, verum Dei cultum docentis, ſe impulſos affirment, tunc Apoſtolico Præconi via pandetur congruæ Inſtructionis, quæ gradatim hoc pacto fieri debet.

243. Tunc enim inſtrui Infideles debent, dari Deum Ens Supremum, perfectiſſimum, ac

omnino independens, à quo pendent omnia in fieri, & conſervari. Hunc eſſe Unicum, nec plures eſſe poſſe; adeoque ultimum eſſe omnium Finem. Unum eſſe in Eſſentia, Trinum in Perſonis. Hunc eſſe ſummè Juſtum, ac benè agentibus æterna præmia, malè verò operantibus æterna ſupplicia decreviſſe.

244. Ponatur Mundi ex nihilo creatio: Hominis primi, in quo cæteri ſubſequentes, veluti in Capite continentur, formatio: ejuſdem in ſtatu Innocentiæ collocatio, quam ſi ſervaſſet, nequaquam mortem ſubiiſſet: ejus delictum, in quo Poſteri omnes ceciderunt: ipſum cum libertate pleniſſima conditum, qua Deo famularetur, & Beatitudinem mereretur æternam: Angelos fuiſſe creatos, quorum aliqui in Veritate ſteterunt, alii ceciderunt voluntaria defectione, ac propterea ab æterna Beatitudine excluſi.

245. Explicetur Noe diluvium ob Hominum peccata, Mundi poſtea reſtitutio, & per Filios Noe vera propagata Religio: inde per Viros nefarios idololatria inducta.

246. Narrentur inſuper Hiſtoriæ Abraham, Jacob, Iſaac, cæterorumque Patriarcharum, apud quos incorrupta Fides fuit ſervata, Deoque placuerunt, credentes in Chriſtum Mundi futurum Salvatorem.

247. Declarentur etiam liberatio Populi Hebraici de manibus Ægyptiorum: inſtitutio Legis Moſayeæ ad Chriſtum diſponentis, cæteraque ſummatim, præſertim notiora Veteris Teſtamenti Arcana à Moyſe uſque ad Chriſtum, cujus Eccleſiam Synagoga præfiguravit, in qua, uti in illa, mali cum bonis permixti vivunt.

248. Denique doceantur Chriſtum, quem Prophetæ prædixerunt, Hominem ſimul, &

Deum in eadem Perſona ſubſiſtentem ex Maria Virgine abſque Viri concubitu, ope verò Spiritus Sancti conceptum adveniſſe, ut Homines à Diaboli captivitate redimeret: Natum, Crucifixum, Mortuum: ſurrexiſſe à mortuis, ut Reſurrectionem mortuorum in fine Sæculorum perficiendam Diſcipulis revelaret, ejuſdemque certos efficeret. Inculcent horrorem extremi Judicii, in quo, diſcuſſis bonis, vel malis operibus, alii in vitam æternam, alii in ignem æternum, juxta merita, deſtinabuntur. Evangelii Canones, & Doctrinam Miſſionarii Apoſtolici explicabunt, quibus docemur, divitias, voluptates, pompaſque ſæculi, quæ neminem, utpote fugaces, brevique perituræ, beatum efficiunt, contemni, & in unico Dei, Rerumque cœleſtium, quæ ſemper manſuræ, ſunt amore perſiſtere oportere.

249. Inſtituantur inſuper Neophiti, Chriſtum poſt Reſurrectionem in Cœlos aſcendiſſe, Apoſtoloſque priùs inſtituiſſe Sacerdotes, Epiſcopos, & Rectores Novæ Eccleſiæ, quam ipſe fundavit, cujus regimini Epiſcopos, qui ſunt eorumdem Apoſtolorum Succeſſores, loco autem ſui, ut præſideret, Petrum reliquiſſe ſupremum omnium Fidelium Paſtorem, ejuſque in eadem Cathedra Succeſſores Romanos Pontifices uſque ad conſummationem ſæculi permanſuros: atque extra Eccleſiam hanc ſalutem æternam neminem obtinere.

250. Explanentur quoque Sacramenta omnia, quibus Cœlum aquiritur, ac Divina Gratia in nos redundat, à Chriſto Domino inſtituta: eorum natura, effectus, ac modus ſe ad illa dignè recipienda diſponendi, preſertim Baptiſmi, Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ, eorumque Ritus, ac Myſteria declarentur. Cum

verò credibilia omnia ſcitu digna Neophitis aperuerint, eos quoque in agibilibus erudiant.

251. Et I. explicent ipſis Præcepta Decalogi ſcripta digito Dei vivi, qui duabus Tabulis comprehenſa Populo Hebraico in Monte Sinai præbuit ad unguem obſervanda. Quæ quidem utpote moralia Chriſtus Dominus nequaquam abſtulit, ſed confirmavit; ait quippe Matth. 5. 17. *Nolite putare, quoniam veni ſolvere Legem, aut Prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere.*

252. II. Imbuantur Fidei, Spei, & Charitatis præceptis: quibus actibus ipſis ſatisfiat, quonam motivo peragendi: quo tempore urgeat eorum obligatio: ipſorum præmium perſeverantibus quodnam ſit: qua puritate perficiendi. Quodnam eorum actuum objectum ſive formale, ſive materiale: Quænam eorumdem neceſſitas, & utilitas.

253. His peractis, opportunè Neophiti adverſus futuras tentationes ſunt præmuniendi, ne cum fuerint ab eiſdem pulſati, turpiter prolabantur; quod quidem optimè notat Auguſt. loco citato.

254. Prima itaque tentatio eſt: Quia multoties vident Neophiti Chriſtifideles perpetua tribulatione vexari, Infideles verò, aut Hæreticos jugi proſperitate floreſcere. Hujuſmodi tentatione Orientales haud modicè agitantur, dum Barbaros aſpiciunt in auge Dominationis collocatos, Chriſti verò Cultores aſſidua premi adverſitate; ac propterea ceſpitant quoque de veritate Religionis.

255. Hi autem monendi ſunt, Chriſtianam Religionem, quæ ſuper humanas res extollitur, minimè felicitatem temporalem polliceri, ſed æternam, ordiniſque ſuperioris; &
pro-

propterea utpote longè nobiliorem, atque pretioſiorem Filiis Dei, & Eccleſiæ reſervatam. Hæc autem bona ſpiritualia, humanâque acie incomprehenſibilia, non niſi malorum hujus vitæ perpeſſione comparari: hinc Chriſtus Dominus in ſe paſſionem, & mortem invictè ſuſtinuit, ut nobis, quomodo æterna Beatitudo aquiratur, exemplum præberet; & Apoſtolis, ac Diſcipulis ſuis in Evangelio nihil niſi durum, rigidum, & auſterum propoſuit, ne Diſcipuli à Magiſtro diffiderent. Neque alio pacto rem eſſe poſſe, à Miſſionariis oſtendatur. Nam æterna Beatitudo veluti præmium, & corona, mercesque Virtuti tribuitur, quæ profectò in tribulationum tolerantia; voluptatum verò, ac rerum omnium caducarum contemptu ſita eſt. Infidelibus verò, & Hæreticis proſperitates concedi temporales, quia æternis ſunt muneribus carituri.

256. Secunda, & quidem graviſſima, quà plerique in adverſum jactantur, & propterea Neophitis aperienda, eſt peſſima multorum Chriſtifidelium vita, cujus ipſoſmet Ethnicos puderet, ita ut ab ipſis niſi penes externam Fidei profeſſionem, Ritumque ſecernantur. Iſta verò in Eccleſia Dei multorum hominum feracitas offendiculum magnum Neophitis inferre poteſt, cum ipſis ægrè valeat ſuaderi, Chriſtianam Religionem, ejuſque Eccleſiam eſſe unicam ſalutis æternæ ſemitam poſſe, aut Legem Animas convertentem, quæ homines adeo perverſos in ſinu ſuo complectitur, ſibique licere putant, quod ab hominibus Sanctitatem Legis ſuæ jactantibus adeo impudenter agi perſpiciunt.

257. Hujuſmodi tentationi Miſſionarii Apoſtolici occurrant, monendo Auditores ſuos,

in Eccleſia Dei ſcandala nequaquàm defutura, uti neque in Primitiva defuerunt. His nequaquam infici Eccleſiam recta ſemper docentem, & mala prohibentem, deteſtantem, atque ſeverè mulctantem. Hanc ex Sanctis minimè componi, ſed præbere media, ut Sancti fiant: Omnes in ea nedum ſalvari poſſe, ſed fieri ſanctitate præſtantes, uti revera multi fiunt; at non omnes fieri, nec ſalutem æternam adipiſci; cum Deus invitos nolit ſalvare, ſed volentes, & merentes, qui tales eſſe non poſſunt, niſi libero præditi arbitrio, quo malè, vel benè, ut ipſis placuerit, agant: malos permitti bonis permixtos, ut boni exerceantur, utroſque à Chriſto Judice in extremo Judicio vel ad Gloriam, vel ad pœnam æternam diſcernendos.

258. Eos Apoſtolici Præcones ſeriò admoneant, ut ſalutis propriæ ſint ſoliciti, non alienorum, ſed propriorum actorum rationem reddituri, atque perpendere ab ipſis oportere, non quid alii faciant, ſed quid Evangelium præſcribat, quid ipſi ſint in Baptiſmo polliciti, vel promiſſuri, Chriſto relinquentes eorum, quæ fiunt, judicium, qui reddet unicuique juxta opera ſua: Vocatos plures eſſe, paucos Electos: ſatagere ipſos oportere, ut per bona opera electionem certam efficiant, horroris Divinorum Judiciorum ſemper memores: cautè proinde opus eſſe incedere inter duas vias, quarum una lata ducit ad interitum æternum, anguſta altera, quæ ad æternam dirigit felicitatem: alia enim nequaquam ſuppetit.

259. Tertia denique, nec minus puſillis periculoſa, tentatio eſt ex Hæreſibus, atque Schiſmatibus Eccleſiam laniantibus exorta. At iſtam facilè Neophiti avertent, perpendentes, omnia hæc à Chriſto Domino, & Apoſtolis

fuiſſe

fuiſſe prævifa, atque prædicta, ut citra difficultatem, ab iis ſolicitè caverent; ut patet Matth. 24. Act. 20. 1. Joan. 2. & alibi paſſim: nec modicas utilitates ex ipſorum oriri permiſſione: Eccleſiam enim etſi affligant, exercent in Fide, quæ mirum in modum augetur, dum diſputationibus Hæreticorum ejus prærogativæ magis pateſiunt, & cognita objectorum infirmitate, Chriſtifideles magis in ea ſolidantur; Illi verò, qui Chriſtianæ humilitatis jugum ægrè ſuſtinent, animumque Ethnicorum ſub ovina Fidelium pelle operiunt, deteguntur.

260. Doceantur porrò Neophiti, ut hujuſmodi turbinum nullam in Fide jacturam ſentiant, Doctrinam inconcuſſam Eccleſiæ conſtanter retinere, quam à Paſtoribus hauſerunt; neque cuiquam novitatem evangelizanti aſſenſum præbeant, juxta monitum Pauli ad Galat. 1. 8. *Sed licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.*

261. Si verò contingat, interdum emergere difficultates, vel dubia ſuſcitari, non ſibi fidant monendi ſunt, ſed Paſtores adeant, quos audire nihil aliud eſt, quam Chriſtum audire; iis quippe à Chriſto dictum eſt Lucæ 10. 16. *Qui vos audit, Me audit: Qui vos ſpernit, Me ſpernit*: hujuſmodi verò obedientia Electorum teſſera eſt, dicente Chriſto Joan. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur Me*: quo pacto Hæreſis periculum evitatur, dum Paſtores audiuntur, quibus à Chriſto promiſſum eſt, Joan. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum Spiritum Veritatis.*

262. Schiſma quoque Neophiti facillimè declinabunt, quoties ipſi Paſtoribus ſuis firmi-

ter adhæſerint, non Perſonam aut mores ſpectantes, ſed locum, quem ſuſtinent Apoſtolorum: quos propterea ſumma proſequi oportere veneratione, docuit Chriſtus Matth. 23. 3. inquit enim: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſei. Omnia ergò, quæ dixerint vobis, ſervate, & facite; opera vero eorum nolite facere*: ut notat acute Hieronymus Lib. 4. Com. in locum hunc.

263. Hiſce præcautionibus Apoſtolicus Catechiſta Neophitos ſuos munire ſatagat brevi, aut ampliori ſermone, prout eorumdem neceſſitas poſtulaverit

264. Illis verò, qui doctrinâ pollent, Scripturarum ſtudium inculcent, animo tamen humili, ne ipſarum myſteria ineffabilia ſub cortice literæ abſcondita penetrare præſumant: *Qui enim ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria*, Proverb. 25. 27.

265. Ut autem Sacram Scripturam rectè percipiant, opem Dei ferventer implorent, qui *dat omnibus affluenter*, *& non improperat*, Jacob. 1. 5. Neque ejuſdem intellectum ex proprio ingenio, ſed ex Patrum Traditione accipiant, uti feciſſe Baſilium, & Gregorium Nazianzenum, refert eorum Legenda.

266. Eos quoque Miſſionarii Apoſtolici admoneant, ne Divinæ Scripturæ ſimplicem loquendi rationem contemnant: ſub illa quippe apparenti ruſticitate eminentiſſima latent Arcana, quæ non niſi humilibus corde aperiuntur, juxta illud Matth. 11. 25. *Abſcondiſti hæc à Sapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*, ideſt humilibus, juxta explicationem Auguſtini ſerm. 8. de Verb. Dom. & 48. de Tempore, ac Hilarii Comm. in Matth. Cap. 11.

267. Cum

267. Cum cæteris verò non adeo eruditis ampliori inſtructione opus eſt diſtincta, atque perſpicua, qua citra ullas ambages, quid credere, quid agere debeant ad Vitam Æternam promerendam Neophiti addiſcant, priuſquam Sacro Baptiſmate initientur, ad quem, niſi evidens cogat neceſſitas, nequaquam ſunt admittendi, neceſſariis ad ſalutem ſive quoad credibilia, ſive quoad agibilia minimè imbuti.

268. Hujuſmodi inſtructio non omninò inornatè, atque incomptè facienda eſt, ſed exemplis, ſimilitudinibus, & comparationibus illuſtranda. Hoc enim pacto mentes Plebejorum, & Rudium faciliùs ad Myſteria Fidei percipienda, credendaque pertrahuntur: quo docendi genere Chriſtus quoque Dominus paſſim utebatur, parabolis Populos alliciens, ut Dogmatibus, quæ proponebat, aſſentirentur.

269. Denique Apoſtolici Operarii blandè, benignè, atque ſuaviſſimè cum Neophitis agere debent, eorum ignorantiam, ruſticitatem, atque importunitatem ſuſtinentes; neque vel minimam præbeant tædii ſuſpicionem; ſed in omni patientia, & doctrina eos inſtruant, eorum difficultates audiant, dubia diſſolvant, & quidquid opponere velint, ut melius Dogmata percipiant, animo libenti vultuque humaniſſimo excipiant, atque omnibus plenè, prout Deus dederit, ſatisfacere contendant. Hoc enim pacto facti omnibus omnia uberem tritici electi quantitatem in horrea Domini congerent.

CAPUT IV.

De modo Miſſiones erectas conſervandi.

270. QUoniam ejuſdem virtutis eſt, & parta tueri, & parere magna: ſicuti regulæ pro Miſſionibus erigendis, atque ſtabiliendis traditæ ſunt; ita nunc pro iiſdem conſervandis aliæ ſunt adducendæ, ne labores à Miniſtris Apoſtolicis exantlati cum eorum dedecore inanes evadant.

SECTIO PRIMA

Quomodo Miſſionarius omnem prorſus novitatem cavere debeat?

271. NIhil magis Vineæ Domini Sabahoth officit, quam Novitas ſive Doctrinæ, ſive Rituum; quam propterea Hæretici nituntur inducere, ut Fidei ipſius deinde ſubſtantiam radicitus evertant. Omnem igitur Novitatem, quam inimicus homo ſuper triticum, antiquæ Doctrinæ, aut Ritus ſuperſeminaſſet, exſcindere Miſſionarii Apoſtolici debent, nec pati ulterius radices figere, quod quidem liquido ſuadetur.

272. Nam quantum ad Ritus: ſicuti ornamenta ſunt Religionis, ita eorum neglectus, ejuſdem quoque contemptum, atque perniciem inducit, cujus exteriora ſunt ſigna. Hinc Eccleſia Romana Ritus ſuos ab Apoſtolis acceptos tenaciſſimè cuſtodivit, & nunc quoque eadem conſtant à retinet.

273. Idipſum præſtat Eccleſia Orientalis: ipſos enim etiam nunc calamitatibus vallata,

Bar-

Barbaricæ ſervitutis ſervàt immotos, ipſique ab Eccleſia Romana ne dum permiſſos, niſi Dogmatibus Catholicæ Religionis adverſentur, ſed juſſos manere, ex Floren. in Bul. Union. & Leonis IX. Innocen. III., & IV., ac Clemen. VIII. Decretis in Bul. *Sanctiſſimus*, utpote vel ab Apoſtolis, aut Sanctiſſimis Patribus, aut uſu Eccleſiæ acceptos.

274. Eo magis quia Catholici ab Hæreticis in hoc præcipuè ſecernuntur: Priores enim venerandam antiquitatem etiam in minimo Ritu à Majoribus accepto violare formidant: poſteriores verò antiquitatem oderunt, ut optimè Vincentius Lirinen. Commonit. 1. cap. 34. Hæreticorum veterum comprobans exemplis.

275. Proinde Hæretici Ritus omnes Eccleſiæ irrident, & fabulas faciunt, ut nedum antiquos feciſſe novimus Encratitas, Manichæos, Euſtaſianos, Arianos, Petrobuſianos, Waldenſes, Wicleſiſtas: ſed modernos quoque Luteranos, Calviniſtas, aliosque Occidentales Sectarios, quos ſpeciali Diſputatione Bellar. Doctiſſimè Tom. 3. Controv. lib. 2. Controv. 6. cap. 31. & 32. confutat; ablatis enim paulatim hujuſmodi externis fulcris Religionis, eam quoque paulatim pcſſundari neceſſe eſt.

276. Hinc citra horrorem Michael. III. Aug. impietas audiri non potuit, qui Ritus Sacros, & Sacros ipſos Miniſtros ludibrio plebis inſanæ exponebat, ex quo Sapientes deducebant, eum in novum Copronymum brevi degeneraturum. Hanc impudentiam Octava Synodus rigidè mulctavit Act. 9. & Can. 16.

277. Quantum verò ad Doctrinam ſpectat, accuratiùs adhuc Miniſtros Apoſtolicos, ne Novitas ulla exurgat, vigilare neceſſe eſt. Nihil enim magis conantur Hæretici ſeductores, quam

nova ſemper ingerere Dogmata, rejicere antiqua; quæ tamen in rebus Fidei Orthodoxæ unicè ſunt reſpicienda, ut optimè Tertul. de Præſcrip. cap. 3. *Ex ipſo Ordine*, inquit, *monſtratur id eſſe Dominicum, & verum, quod ſit priùs traditum: id autem extraneum eſt, & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum*. Similia ſcribit Hierony. ad Pammac., & Ocean., & quidem Paulum ſequentes, qui 1. Timoth. 6. 20. ad eum ſcribens, ait: *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidem promittentes circa Fidem exciderunt*.

278. Idipſum ſenſere uno agmine Patres, quamcumque Novitatem etiam unius vocis damnantes. Unus audiatur Vincentius Lyrinenſis in Libro illo pretioſo adverſus hæreſes, ubi vel minimam quamcumque Novitatem condemnat; ait enim Commonit. 1. cap. 36. explicans locum Pauli mox citatum: *O Timothee &c. Profanas vocum Novitates devita: quas recipere, atque ſectari, numquam Catholicorum, ſemper verò Hæreticorum fuit, & revera, quæ umquam Hæreſis niſi ſub certo nomine, certo loco, certo tempore ebullivit? Quis umquam hæreſes inſtituit, niſi qui ſe priùs ab Eccleſiæ Catholicæ univerſitate, & antiquitatis conſenſione diſcrevit?* Similia his eructat cap. 26. & 27.

279. Nulla ergo ratione patiantur Apoſtolici Miſſionarii Novitatem ullam, aut Vocabula introduci exotica, & a communi ſenſu aliena. Experientia enim docuit, hujuſmodi Novitatibus hæreſes incepiſſe, uti de Monothelitarum errore novimus, quem incauta permiſſio dicendi in Chriſto nec unam, nec duplicem voluntatem fuiſſe, promovit; nec niſi Synodi VI. Oecumenicæ authoritate reſcindi potuit. Poteſtas

ſtas enim voces adhibendi pro vetuſto quocumque Dogmate explicando, non privatis competit Perſonis, ſed Eccleſiæ Patribus. Quo pacto à Concilio Nicæno Vocem *Homouſion*, ideſt *Conſubſtantialem*, ut Divinitatem Filii Dei ejuſdem cum Patre Eſſentiæ conſortis adverſus Arium exprimeret, Symbolo Apoſtolorum addente; & Lateranenſi IV. utente voce numquam audita *Tranſubſtantiationis* pro Panis in Corpus Chriſti, & Vini in ejuſdem Sanguinem explicanda converſione factum eſt.

280. Caveant igitur Miſſionarii Apoſtolici ne quidquam ſive quoad Ritus, ſive quoad Doctrinam, quod Novitatem redoleat, in Miſſionibus admittatur: vel ſi fuerit introductum, quod ipſi minimè plantarunt, Sacris Literis, Apoſtolicæ Traditioni, uſuique, ac ſenſui communi Eccleſiæ adverſum, conentur exſcindere, ne, corrupta Fide, moribus fœdatis, eorum labores irriti fiant.

SECTIO SECUNDA

Quomodo Catholica Doctrina in Miſſionibus ſit frequenter inculcanda?

281. Operariis Apoſtolicis minimè ſufficit Eccleſiam aliquam erexiſſe, vel ab Hæreſi revocaſſe, ſed eam incolumem tueri, atque ad meliora ducere neceſſe eſt. Ad quod aſſequendum, ea quæ inferiùs dicentur, juvare poſſe videntur.

282. I. Cuicumque Miſſiones dirigendi cura incumbit, in Viſitatione, quam efficiet, nedum nitatur Neophitos ſuos in Fide Orthodoxa, quam amplexi ſunt, confirmare, verumetiam in eos præcipuè errores, quibus antea tene-

tenebantur, invehere, noviſque rationibus exſcindere, ac roborare Veritatem.

283. Accuratè perquirat, ſi qui ſint, qui fortaſſis ſn propoſito vacillent, aut inconſtantià propria, vel aliena vexatione. Hos advocet, charitativè moneat, inſtruat, roboret, atque confirmet in omni patientia, & doctrina, nec eos ſinat, quantum in ſe eſt, in priorem relabi impietatem.

284. Inquirat, an novi aliquid, ſive quoad Ritum, ſive Dogma emerſerit, ſtatimque evellat. Sciſcitetur, an parvuli, & rudes recta fide, moribuſque eiſdem congruis imbuantur: nec inde diſcedat, niſi omnibus, quæ occurrebant, incommodis plenè providerit.

285. II. Illi, qui immediatè Miſſioni incumbunt, ſingulis Feſtis, & ſolemnitatibus Myſteria in eis contenta declarent, ita tamen ut etiam rudes, & hebetis ingenii, ea quæ proponuntur, facilè poſſint percipere.

286. III. Quoniam puerorum Inſtructio conſervationi Religionis Orthodoxę magnopere conducit; hinc ſtrenuè à Miſſionariis Apoſtolicis vacandum eſt. Si enim rectè, uti debet, erudiantur, minimè, regulariter loquendo, corruunt in errorem: primę ſiquidem impreſſiones difficulter deleri conſueverunt. Et hæc eſt ratio, cur apud Hæreticos educati ægrè adeo ad gremium Eccleſiæ revertuntur: quia nimirum error Veritatem prępcurrit, atque tentoria fixit non facilè proſternenda.

287. Catecheſis ergo puerorum neceſſariò inſtituenda eſt, aut in Eccleſia tam circa credibilia, quam agibilia, quorum opera Parentum quoque interdum converſio ſecuta eſt: at diſcretè admodum fieri debet; cum his enim, uti cum rudibus ita agendum, ſicut cum parvulis.

lis nutrices ſe gerunt, primò lac, ſecundò panem attritum, tertiò panem ſolidum miniſtrantes: ita pueri, ac rudes inſtruendi, quibus facillima priùs, deinde altiora, tandem cætera Sacræ Doctrinæ Myſteria debent exhiberi; eorum reſpectivè capacitate perpenſa: ac Miſſionarii Apoſtolici Catechiſmis uti poterunt, quorum plures quotidie in lucem prodeunt. Nulli ergo in hoc genere Inſtructionis parcant labori, aut ſolicitudini, fructum centupulum ex eo, ſi conſtantes perſtiterint, relaturi.

SECTIO TERTIA

Alia pro Miſſionum conſervatione ex parte Neophitorum requiſita enumerantur.

288. I. EST, ut Hæreticorum conſortia effugiant, uti monet D. Paulus ad Timoth. 3. 6. & D. Joannes Epiſt. 2. cap. 3. 18. Hæreſis enim uti lues peſtifera, quoſcumque attigerit, inficit, ob cujus contactum multi à Fide exciderunt, cum Hæreſis, 2. ad Timoth. 2. 17. *Ut cancer ſerpit*; doloſis enim verbis, pietatemque ſpirantibus Hæretici venenum propinant, & captioſis involucris ita errorem tegunt, ut vix Cautiſſimi fraudes ipſorum evadant; quos proinde detegens Apoſtolus admonet Fideles, ut ab ipſis caveant, ad Rom. 16. 18., & reddit rationem: *Hujuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro, non ſerviunt ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium.*

289. Hinc Sacra Concilia, preſertim antiqua, ut Laodic. cap. 47. Chartag. IV. cap. 71. Toloſ. cap. 14., commercium quodcumque cum Hæreticis ſub gravibus cenſuris interdicunt,

Eccle-

Eccleſia eorum Libros vetat percurri, ex Nicæn.II. cap.9., Brachar.I. cap.17. Hinc Nicænum I. ſcripta Arrii flammis addici imperavit, Conſtantino Auguſto Eccleſiæ mandatum Edictis ſuis exequente, teſte Socrate Lib. 1. Hiſtor. Eccleſiaſ. cap.6., quem morem ſæculis ſequentibus obſervavit, actuque ſervat.

290. Præ cæteris Neophiti caveant eos, qui ſub imagine Sanctitatis ſeipſos callidiſſimè inſinuant Animas decepturi, juxta monitum Chriſti Matth. 7. 15. *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis Ovium, intrinſecus autem ſunt Lupi rapaces*: Dignoſcuntur autem ex operibus, ut ibidem innuitur: *A fructibus eorum cognoſcetis eos*. Cum verò eos detexerint nova Dogmata ſpargentes, intrepidè repellant: ut enim Paulus advertit 2. ad Timoth. 3. 8. *Quemadmodum Jannes, & Mambre reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt Veritati, homines corrupti mente reprobi circa Fidem*. Hoc autem ſolicitè faciendum eſt, ut laqueis ipſorum incautè deprehendantur.

291. Quoniam verò in locis Miſſionum non ita facilè conſortium Hæreticorum vitari poteſt, hoc ſaltem à Neophitis præſtandum eſt, ut, quò parciùs licuerit, cum ipſis verba miſceant, in rebus preſertim ad Religionem ſpectantibus: longè enim faciliùs Orthodoxus ab ipſis pervertetur, quam ipſi à Catholico revocentur ad Fidem Orthodoxam: idcirco colloquia de Religione cum alienis ab Eccleſia, Miſſionariis relinquant: ipſi verò pro iis fervidas Omnipotenti Deo preces fundant.

292. II. Eadem circumſpectione cum Infidelibus, à quibus cinguntur, eorumqne ſubduntur dominationi, Neophitos ſe gerere opus eſt. Etſi enim neceſſitate compulſi, agere cum

ipſis

ipſis compellantur, ac negotia tractare, eorum tamen debent familiaritatem declinare, ne ipſorum Dogmatibus, ac pravis moribus paulatim imbuantur. Ob hanc rationem Iſraelitæ rigidis adeo Legibus à conſortio Ethnicorum arcebantur, quorum neglectu nedum iidem, ut habetur Pſal. 105., verum etiam Salomon ipſe Sapientiſſimus à veri Dei Cultu in Idololatriam turpiter deflexit, 3. Reg. 11.

293. Hoc ipſo pavore concuſſa Chriſti Eccleſia omnem cum Ethnicis communionem voluit abſciſſam ex Conſtit. Apoſt. cap. 61. Nicol. I. ad Conſul. Bulgar. cap. 41. Lucen. II. cap. 73., etſi in aliquibus caſibus minimè vetetur, Cap. *Infideles*.

294. Satagant ergo Chriſti Cultores Ethnicorum quantum fieri poteſt conſuetudinem evitare. Quo autem caſu ſibi cum ipſis tractandum ſit, cautiſſimè ſe gerant, nec de Religione ſermonem inſtituant, nec ultra id, quod neceſſitas poſtulat, aut petit congruitas, ulla ratione protrahant.

295. III. Nuper ad Fidem Orthodoxam Converſi, viventeſque in medio Nationis pravæ mores ſuos ita juxta Evangelicæ Legis normam componere debent, atque ita cautè ſe gerere, ut à corruptionibus Sectæ, quam deſeruerant, longiſſimè diſtent, ut eos Auguſtinus hortatur de Symbol. ad Catech., alioquin ſi ſegnes ſe, & ſocordes oſtenderint, paulatim ad fæditates, quibus valedixerunt, revertentur: experientiâ enim docemur, depravationem intellectus in credendo ex voluntatis in agendo corruptione prodiiſſe.

296. Augetur neceſſitas vivendi admodum caſtigatè. Cum enim ipſi Catholicam Eccleſiam, ubi Miſſiones vigent, componant, ejuſ-

ejuſdem Sanctitas in iis effulgere debet veluti Religionis Orthodoxæ Sectatoribus, qui facto ipſo eam revera ſanctam oſtendunt, unicamque viam comprobant æternæ ſalutis aſſequendæ: quo pacto aut alliciuntur Infideles, & Hæretici ad Fidem capeſſendam, aut inexcuſabiles efficiuntur. Secus agendo, Infidelium, & Hæreticorum ſubſannationes excitarent adverſus Orthodoxam Religionem veluti Sectam malignantium, aut ſaltem hominum omnino vulgarium nihil ſanè, quod à Deo prodeat, continentium.

297. Si verò interdum ex humana fragilitate in crimen aliquod Chriſtifideles labi contingat, inſigni pœnitentia ſcandalum deleatur; hoc enim pacto jactura vertitur in utilitatem, juxta Ambroſ. de Apol. David. 1. cap. 2. *Culpam incidiſſe Naturæ eſt; diluiſſe Virtutis.*

298. IV. Tandem, ut Miſſiones diutiùs conſerventur, Catholici omnes, ſive recentes, ſive veterani veram Religionem, quam amplecti à Deo digni facti ſunt, in magno pretio habeant, pro qua tuenda fortiſſimi Martyres, nedum opes, & commoda omnia, ſed vitam ipſam acerbiſſimis adacti ſuppliciis invictè profuderunt, de quibus dura omnia ſuſtinentibus loquitur Paulus ad Heb. 10. 32., & 11. 35. Sciebant quippe Fidem rectam totius ædificii ſpiritualis eſſe fundamentum, æternæque ſaluti viam pandere, qua irreparabiliter amiſſa, nihil juvat, juxta oraculum Chriſti Marc. 8. 36.: *Quid prodeſt homini ſi Mundum univerſum lucretur, Animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Divinæque Miſericordiæ beneficium agnoſcebant, qua nullis præcedentibus eorum meritis fuerant vocati, ut Fide, ac Charitate Chriſto conjuncti, æternam felicitatem obtinerent.

299. Hæc

299. Hæc ipſa Fideles ſive Neophiti, ſive Veterani maturè revolvant, Deique Pietatem erga ſe admirentur, dum Infidelibus in cœno jacentibus, ſeipſos inſpiciunt redactos in libertatem Filiorum Dei; ac proinde gratias eidem agentes Fidei detrimenta pluris faciant, quam rerum propriarum jacturam. Divina, & Eccleſiaſtica præcepta præſertim coram Infidelibus exactè cuſtodiant, ne videantur Chriſti Evangelium erubeſcere. Si autem aliquid contingat pro Religione Orthodoxa ſuſtinere, exultantes coram Infidelibus, id faciant Apoſtolos imitantes, de quibus dicitur Act. 5. 41. *Ibant gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro Nomine Jeſu contumeliam pati.*

SECTIO ULTIMA

De aliis ad Miſſiones conſervandas ex parte Miſſionariorum requiſitis.

300. Nonnulla ſuperſunt Miſſionariis Apoſtolicis valdè utilia, quæ breviter hic recenſebimus.

301. I. Quoniam Fideles noviter converſi, veluti infantes ſcandalum facillimè patiuntur, Apoſtolici Operarii ſe cum iis cautiſſimè gerant, ne vel in minimo eiſdem offendiculum præbeant, ſed ſolummodo exhibeant ipſis exempla virtutum, ut in probitate Magiſtrorum Legis Evangelicæ, quam amplexi ſunt, Sanctitatem agnoſcant; propterea, quæ humana ſunt, coram ipſis quantum fieri poteſt minimè operentur, etiamſi ſint indifferentia.

302. II. Ob eamdem rationem bona opera, quæ in occulto fieri deberent ob inanem gloriam effugiendam, in Locis Miſſionum, in conſpe-

ctu Neophitorum peragenda ſunt, ut à Magiſtris addiſcant viam Virtutis, quam calcare debent Cœleſtem beatitudinem adepturi. Neque ſic operantes detrahunt quidquam Humilitati, quæ intentionem potiùs tangit, quam executionem, uti monet Gregor. Magn. Hom. 11. in Evang.

303. III. Tametſi Eccleſiæ Diſciplina, quantum fieri poteſt, & circumſtantiæ patiuntur, ſervari debeat incolumis, ne Hoſtes Fidei anſam ſumant eam criminandi; Apoſtolici tamen Operarii rigorem incongruum oſtendere, nequaquam debent, ne oves à Paſtoribus nimium percuſſæ, aut rigidiùs, quam opus eſt, tractatæ ab ovili diſcedant, aut in prærupta dilabantur. Hoc pacto Marcion Hæreſim amplexus eſt, quia nimirum pœnitens ab Epiſcopo nimium rigido fuit inhumanè repulſus, ex Epiphan. Hæreſ. 42.

304. Propterea ſi contingat quemquam ex Fidelibus aut tentatione, aut propria improbitate victum Eccleſiam reliquiſſe, non eos, ut ad pœnitentiam redeant, expectare, ſed perquirere omni contentione debent, nec laboribus parcere, donec oves errantes ad caulas Domini ſint reductæ, memores Divinæ benignitatis, cum Lucæ 15. 7. *Gaudium erit in Cœlo ſuper uno Peccatore pœnitentiam agente*. Hinc, teſte Chryſoſt. ad Theodorum lapſum, Joannes Apoſtolus Diſcipulum quemdam graviſſimorum criminum reum, non ſolummodò convenire, ſed fugientem ſequi nequaquam erubuit, paratus pro eo, ſi opus fuiſſet, Animam ipſam ponere.

305. Non tamen ſub obtentu Miſericordiæ rigor Diſciplinæ diſſolvendus eſt, maximè apud Orientales, qui relaxationis Latinos accuſant. Deus ergo imitandus eſt, cujus viæ ſunt Miſericor-

ricordia, & Judicium, & in quo *Juſtitia*, *&* *Pax*, ſe invicem *oſculatæ ſunt*. Pſal.84. 11.

306. IV. A Miſſionariis Apoſtolicis ſolicitè curandum eſt, aut diſſentiones inter Fideles nequaquam oriri, aut ortas extinguere: odium enim naturale vinculum quoque Fidei diſſolvere poteſt, ut videmus in Græcis, quos averſio adverſus Latinos ab Eccleſia quoque Catholica diſcidit: quod quidem faciliùs in Miſſionibus eveniet, ubi nullum Fideles habent errandi repagulum, ſed potiùs incentivum inveniunt.

307. Eoque magis Apoſtolici Miniſtri diſſidiis exſcindendis vacare debent, quia iis utuntur hoſtes Eccleſiæ in eorum perniciem; eos quippe nedum diviſos contemnunt, ſed opprimere ſatagunt à fratribus derelictos. Horum conatus irriti fiunt, cum Fideles vident, Pſ.67. 6. *Unius moris in Domo*, colliguntque Chriſti Populum eſſe, quorum *erat Cor unum*, *&* *Anima una*, Act. 4. 32., & Chriſti dirigi ſpiritu: *Qui enim manet in Charitate in Deo manet*, *&* *Deus in eo* 1. Joan.4. 16.

308. V. Miſſionarii Apoſtolici omnes, nedum Fideles, ſed Infideles quoque, & Hæreticos benevolentiſſimè complectantur, omnique officiorum genere, quantum fieri libet, juvare contendant, Chriſti Legatione fungentes, qui Act. 10. 38. *Pertranſiit benefaciendo*, *&* *ſanando omnes*.

309. Hoc pacto corda hominum ad ſe pellicient inſigni utilitate. Fideles enim ab ipſis objurgationes, ac monita ſalutis animo libenti ſuſcipient, quos noverint paterno erga ſe flagrantes amore. Infideles verò, ex hujuſmodi Charitate, aut motiva converſionis deſument, ut Sancto Pacomio accidit, apud Baron. ad annum Chriſti 316. num. 27., & 28., aut ſal-

tem

tem odium, & horrorem adverſus Evangelium deponent, cujus Miniſtros egregiè de ſe merentes experiuntur, quod ſanè magna utilitas eſt, viam quippe ſternit ampliſſimam, ipſum annuntiandi.

310. VI. Juvaret haud parum, ſi facultas ſuppeteret, conſtitui puerorum Gymnaſia, in quibus ab Operariis Apoſtolicis artes bonas, ac diſciplinas iiſdem congruas docerentur. Parentum ſiquidem benevolentiam ſibi conciliarent, animadvertentes, Filios ſuos imbui diſciplinis, non minùs Familiæ, quam Reipublicæ proficuis; ſacroſque Miniſtros cenſebunt non vulgares eſſe homines, ſed eruditione præſtantes, quod ſanè Converſioni Ethnicorum magnopere conducit. Tumquia Diſcipuli nedum amorem erga Magiſtros, ſi rectè tractentur, concipiunt; verum etiam occaſione bonarum artium rectæ Fidei præceptis, morumque honeſtate imbui poſſunt, quæ cordi infixa difficulter deponent.

311. VII. Apoſtolici Operarii Converſione Animarum laboribus nequaquam reſpondente, animo minimè decidant, nec in ſuſcepto inſtituto laboribus, atque induſtriâ langueſcant; eorum quippe in Cœlis prœmium, non ex Converſione ſecutâ pendet, ſed ex animi fervore, qua eidem vacarunt, ex magnitudine laborum, quos ad finem hunc ſuſceperunt, ex ærumnis, atque calamitatibus, quas animo libenti ſubierunt, quorum omnium coronam eis Deus reſervat, ſive Infideles convertantur, ſive in ſua duritie permaneant: *Reddidit enim Deus juſtis mercedem laborum* (non fructuum) *ſuorum*, Sap. 10. 17.

312. Conſtanter igitur opus ſuum proſequi debent Operarii Apoſtolici, cum ſterilitatem

hanc

hanc Deus interdum permittat ad Servorum ſuorum probationem, utrum ex puro ejuſdem amore, ac ſalutis Animarum defœcato deſiderio, vel ob alios fines terrenos, vel non adeo puros in agone perſiſtant: quod tunc perſpicuè dignoſcitur, quando ceſſantibus omnibus motivis non purè Deum reſpicientibus, adhuc conſtantiſſimè Miniſtri Dei manent in propoſito immoti.

313. Cæterum ob Converſionis dilationem, aut etiam Infidelium renitentiam accedendi ad veram Religionem, deſperatio nequaquam eſt concipienda; multoties enim pertinaces primâ, ſecundâ, vel etiam decimâ aggreſſione, quintadecimâ vincuntur; aut quia ita ipſorum ſunt ingenia, ut niſi repetitis ictibus cedant; aut quia victoriam Deus non eloquentiæ Operarii, ſed preci, humilitati, ac longanimitati largiri dignatur.

314. Tandem Apoſtolici Miſſionarii meminerint ſe apud Ethnicas, aut Hæreticas Nationes Chriſti fungi Legatione, adeoque iis Virtutibus ornatos eſſe oportere ab Evangelio præſcriptis, ut in ejuſdem Præconibus effulgeant, quæ ab ipſis concionando inculcantur. Hoc enim pacto Chriſtus ipſe in Legatis ſuis qualis ſit, apparebit, & Majeſtas, ac puritas Catholicæ Diſciplinæ moribus ipſis Magiſtrorum ſeipſam manifeſtè prodet.

315. Multa alia Documenta poſſent miniſtrari: at ne tædio Lectores afficiam, omitto. Amor ipſe Chriſti, qui pro Animarum ſalute ærumnas, inopiam, calumnias, alapas, flagella, Crucem ipſam ſuſtinere dignatus eſt, media miniſtrabit, utiliter cum Deviis à Fide Orthodoxa peragendi.

316. Faxit Deus hujuſmodi monita, quæ

hucuſ-

hucuſque Præconibus Veritatis propoſuimus, ac omnia alia, quæ in hoc opere abreviato docuimus, aliquid utilitatis afferre: hoc enim magnopere optamus eodem, quo ipſa præbuimus, zelo commoti.

Finis Quartę, & Ultimę Partis.

INDEX

Tractatuum, & Quæſtionum, quæ in hac quarta Parte Epitomes Manualis Miſſionariorum Orientalium continentur.

TRACTATUS XI.

De Dubiis moralibus Theologicas, aliaſque Virtutes concernentibus.

CAPUT PRIMUM

De Fide, ejuſque Confeſſione.

Quæſt. I. *AN Apoſtatæ ad Fidem reduces teneantur Fidem, quam abnegarunt, coram Infidelibus confiteri?* Pag. 6.

Quæſt. II. *An Apoſtatis pœnitentibus Infidelium veſtibus uti liceat?* 8.

Quæſt. III. *An Apoſtatæ pœnitentes in extremis degentes poſſint coram ſolo Miſſionario Sectam falſam abjicere, & Catholicam confiteri Religionem?* 9.

Quæſt. IV. *An liceat Fidelibus ſigna lætitiæ exhibere ob victoriam à Principe infideli, cui ſubduntur, adverſus Chriſtianos obtentam?* 10.

Quæſt. V. *An Fideles in Oriente* Franci *appellati poſſint ſe tales denegare à Publica Poteſtate interrogati?* 11.

Quæſt. VI. *An poſſit quis negare ſe Miſſionarium Chriſtianorum, quin confeſſioni Fidei officiat?* 12.

Quæſt. VII. *An poſſit ſuſtineri Catholicorum*

nonnullorum aſſiſtentia conviviis Infidelium, aut Schiſmaticorum, in quibus candelæ accenduntur, vinum bibitur, atque pro Defunctis exoratur? 13.
Quæſt. VIII. *An licitè funeribus Infidelium, aut Schiſmaticorum Fideles interſint?* 14.
Quæſt. IX. *An interrogatus de Fide tacere poſſit, nec confitendo, nec negando?* 15.
Quæſt. X. *Utrum Artifices Catholici in conſtructione, vel reſtauratione Templi Mahumetici, aut Idolis dicati operam ſuam licitè valeant impendere?* 17.
Quæſt. XI. *An Chriſtianis liceat pro Sacrificiis, Conviviis, & Feſtivitatibus in Templis Idolorum ad communem lætitiam celebratis contribuere?* 18.
Quæſt. XII. *An à Chriſtianis, citra Fidei confeſſionis violationem, coram Idolis omnia, quæ ab Ethnicis fiunt, præſtari poſſint, adoratione ad Crucem, quam præ manibus occultè tenent, aut inter flores Altaris cælatur, directâ?* 19.
Quæſt. XIII. *An liceat Catholicis in Templis Schiſmaticorum Organa pulſare; vel in eorum, aut Infidelium ſcholis ſcientias edocere?* 21.
Quæſt. XIV. *An liceat Catholicis intereſſe ſacris Ethnicorum, vel Sectariorum, eorumque Templa frequentare, non præſentia pure materiali, ſed alterius generis?* 24.
Quæſt. XV. *An liceat Chriſtifidelibus Idolothyta comedere?* 27.
Quæſt. XVI. *An, citra peccatum, poſſint Fideles cibos ab Eccleſia vetitos comedere, Principe ethnico, & hæretico comeſtionem præcipiente?* 29.
Quæſt. XVII. *An teneantur Chriſtifideles deferre*

re ſignum diſtinctivum ab Hæreticis, aut Infidelibus, Principe ethnico, aut hæretico ita imperante? 31.

Quæſt. XVIII. *An Chriſtifideles ab Infidelibus ad diſputationem provocati ſilere poſſint, vel diſputationem declinare, citra ullum confeſſionis Fidei præjudicium?* 33.

Quæſt. XIX. *An quando Chriſti Imago, ejuſque Myſteria, Nomenque conculcatur ab Infidelibus, teneatur Miſſionarius, vel quiſquis Fidelis publicè Fidem confiteri, diſcrimine mortis non obſtante?* 34.

Quæſt. XX. *Utrum Miſſionarius ad ſe occultandum galero Judæorum uti poſſit?* 36.

Quæſt. XXI. *An Hæreticis, aut Ethnicis Libellos infamatorios adverſus Orthodoxam Fidem, ejuſque Miniſtros ſpargentibus, aut domicilio affigentibus, liceat Catholicis ſilere, ſaltem ad tempus?* 37.

Quæſt. XXII. *An Magiſtratui infideli, aut hæretico ſacros Libros, & Vaſa petenti tradere liceat, citra Fidei Orthodoxæ violationem?* 38.

Quæſt. XXIII. *An liceat Miſſionario apud Infideles manere ſub conditione numquam Evangelium diſſeminandi?* 39.

Quæſt. XXIV. *An, Principe Infideli præcipiente, liceat Chriſtianis Defunctorum funera aſſociare?* 40.

Quæſt. XXV. *An Infidelibus petentibus de ſalute æterna Sectæ Authoris teneantur Catholici reſpondere?* 41.

Quæſt. XXVI. *An liceat Idolum ob finem merè politicum exteriùs venerari?* 42.

Quæſt. XXVII. *An liceat Chriſtiano ex Equo deſcendere, dum ante fores Templi Idolorum tranſit, Principe ethnico præcipiente?* 43.

Q 2 Quæſt.

Quæſt. XXVIII. *An res, quæ ſacrificiis Idolorum deſerviunt, à Mercatore Catholico licitè vendi queant?* *Ibidem.*

Quæſt. XXIX. *An Chriſtifidelibus liceat Veſtes deferre falſorum Numinum imaginibus ornatas?* 44.

Quæſt. XXX. *Utrum liceat Catholico ſupremum Ethnicorum Sacerdotium acceptare, abſque ullo onere illud exercendi?* 46.

Quæſt. XXXI. *An, ſæviente, aut imminente Perſecutione, liceat vexationem pecuniâ redimere?* 47.

Quæſt. XXXII. *An Miſſionarius adverſus externam Fidei Confeſſionem graviter delinquat, ſi requiſitus à Turcis quid de Deo ſentiat, unum digitum erigat; à Neſtorianis verò quid de Virgine cenſeat, eam Chriſtiparam appellet?* 49.

Quæſt. XXXIII. *An Miſſionarius interrogatus à Publica Poteſtate, vel etiam privata Perſona, utrum Monſulmanus, aut Muſſulmanus ſit, poſſit affirmativè reſpondere abſque præjudicio Confeſſionis?* 51.

Quæſt. XXXIV. *An Catholicus Infidelem aggreſſorem ab ipſo petentem, ut Fidem ſuam explicet, interimens, reus ſit violatæ Fidei Confeſſionis, & homicidii?* 52.

Quæſt. XXXV. *An Sacerdos Catholicus interrogatus ad detegendum, an confecerit in Azymo, vel Fermentato; ac reſpondens, ſe confeciſſe in Fermentato, cum reverà in Azymo confecerit, adversùs Fidei Confeſſionem deliquerit?* 53.

Quæſt. XXXVI. *An Chriſtiani apud Indos commorantes quandam illorum Faſciam ſuper humeros ſuos deferre poſſint, quin Confeſſionem externam veræ Fidei lædant?* 54.

Quæſt.

Quæſt. XXXVII. *Utrum Chriſtifidelis ingrediens Templum Idolorum, aut Mahumeti dicatum, immunitate gaudens, ut mortem ſibi propter ſcelera propria infligendam effugiat, ad verſus externam Fidei Confeſſionem delinquat?* 55.
Quæſt. XXXVIII. *An Cives obſeſſi à Principe infideli Miſſionarium ab eorum manibus erepturo teneantur eumdem tribuere, licet ipſius Mors timeatur, abſque ulla falſæ Religionis proteſtatione?* 6.
Quæſt. XXXIX. *An licitè Miſſionarius Miraculum polliceatur Infideli petenti, dum, illo facto, converſionem promittit?* 59.
Quæſt. XL. *Utrum, Pſeudo-Doctore novam falſam Doctrinam ſpargente, teneantur Miſſionarii ſe illi opponere, ac Veritatem docere?* 66.
Quæſt. XLI. *Utrum Miſſionarius ſe in flumine cum Abyſſinis abluens, ut ſecuriùs lateat, contra externam Fidei Confeſſionem delinquat?* 69.
Quæſt. XLII. *Utrum Miſſionarius Mahumetanorum jejunia, eorumque nonnullas Cæremonias, ne ſe prodeat, obſervans, adversùs externam Fidei Confeſſionem delinquat?* 70.
Quæſt. XLIII. *Utrum Catholicus ad ſe à vexatione redimendum ſpargere poſſit, ſe coram Magiſtratu infideli Fidei Orthodoxæ abrenuntiaſſe, vel abrenuntiare velle, etſi reverà minimè fecerit, aut facturus ſit; quin Confeſſionis externæ veræ Religionis violatæ ſit reus?* 72.
Quæſt. XLIV. *Utrum Miſſionarius inductus à Tyranno necem minitante, niſi obtemperet, nec medio ad fugam occurrente, ad diſputandum de Fide cum Ethnicis compulſus, diſputationem licitè polliceatur?* 73.

CAPUT SECUNDUM

De Charitate.

Quæſt. I. AN liceat Cauponibus Chriſtianis inter Turcas degentibus ad Scortum exercendum ſecretiora cubicula præbere? 75.

Quæſt. II. An Chriſtianis remigibus liceat in Navigiis Infidelium adversùs Chriſtifideles directis laborare? 77.

Quæſt. III. An Præfecti remigum Chriſtianorum poſſint concaptivos ad ſtrenuè laborandum hortari, & Infideles juvare, etiamſi omnia fiant in Fidelium perniciem? 79.

Quæſt. IV. An Captivi, aut alii Chriſtifideles opera ſua Infidelibus locare, vel impendere citra peccatum valeant? 81.

Quæſt. V. An liceat Vinum Turcis propinare, eodem ebrietate abuſuris? 82.

Quæſt. VI. An liceat Chriſtianis ab Infidelibus juramentum exigere? 83.

Quæſt. VII. An Chriſtiani Infidelibus ſubjecti bellum adverſus Chriſtifideles indictum adire poſſint, & nocere Fidelibus in exercitu Infidelium militantibus? 85.

Quæſt. VIII. An Famuli Chriſtiani poſſint in bello arma, & cætera neceſſaria metu mortis, aut verberum miniſtrare? 90.

Quæſt. IX. An Judex Chriſtianus ab Infidelibus poſitus ad regimen teneatur ipſis crimina Chriſtianorum, quæ punire non poteſt, & machinationes detegere? 91.

Quæſt. X. An liceat Chriſtianis dare Pueros ſuos, quos Turcæ ex ſubditis Regionibus colligunt, ut Reipublicæ propriæ miniſterio aptos efficiant? 93.

Quæſt.

Quæſt. XI. *An Chriſtiani captivi licite dono, vel pretio recipere poſſint merces à Piratis direptas?* 96.
Quæſt. XII. *An Divites Chriſtiani Turcis ſubjecti peccent renuentes dare pecuniam, niſi lucro interveniente?* 97.
Quæſt. XIII. *An Miſſionarius arte medica pollens non curando Infirmum, etſi ex curatione magnus Animarum fructus prævideatur, peccet?* 99.
Quæſt. XIV. *An Miſſionarius non accedens ad miniſtranda Sacramenta, ſaltem neceſſaria, proximè morituris, ob contagionis contrahendæ timorem, graviter adversùs Charitatem delinquat?* 100.
Quæſt. XV. *An Catholicus detrectans redimere Captivum Hæreticum, aut Infidelem converſionis ſpem præbentem, ne pecunia ſibi in negotiatione deficiat, graviter adverſus Charitatem delinquat?* 102.
Quæſt. XVI. *An graviter adverſus Charitatem Miſſionarius delinquat, qui propter metum mortis omittit Catholicum corrigere, aut lapſum in Hæreſim, aut proximè lapſurum?* 104.
Quæſt. XVII. *An Catholicus letbaliter Charitatis præceptum violet, videns Captivum Chriſtianum Infidelium minis, aut illecebris fractum, Fidei abrenuntiare paratum, niſi redimatur, & nolens eum, erogatâ pecuniâ, vel ſeipſum in pignus tradendo, redimere?* 106.
Quæſt. XVIII. *An Fideles occulti ex Charitatis præcepto teneantur, prodendo ſeipſos, ſubvenire Catholico ab Infidelibus vexato, ne in tormentis à Fide Orthodoxa deficiat?* 107.
Quæſt. XIX. *An Miſſionarius non cooperans fu-*

gæ Apoſtatæ ad Fidem converſi, aut Captivi Catholici, dum poſſibilis fiat, adverſus Charitatem delinquat? 109.

Quæſt. XX. *Gentili, Hebræo, aut Schiſmatico neceſſitate laborante, cui primò ſubveniendum ſit, ſi uni tantum ſuccurri queat à Miſſionario?* 111.

Quæſt. XXI. *An Catholicus, aut Miſſionarius priùs ex Charitate conſanguineo infideli, quàm extraneo fideli, ſi uterque neceſſitate ſumma laboret, ſubvenire debeat?* 114.

Quæſt. XXII. *An Miſſionarius Infidelium furorem metuens, vel cupiens ſeipſum ſervare incolumem, ut Fideles cuſtodiat, aut Infideles convertat, Infidelium peccata diſſimulando, rectè agat?* 115.

CAPUT TERTIUM

De Difficultatibus ad Religionem pertinentibus.

Quæſt. I. *AN liceat diebus feſtivis ligna aſportari, calceos texi, Miſſamque non audiri ob inveteratam conſuetudinem?* 118.

Quæſt. II. *An liceat ſacrum Oleum Baptiſmi, & Extremæ Unctionis Turcis ad Filios procreandos præbere?* 120.

Quæſt. III. *An dies feſti Infidelium, præſertim Feria ſexta apud Mahumetanos à Chriſtifidelibus citra culpam ſervari poſſint?* 121.

Quæſt. IV. *An poſſint ſuſtineri Albanenſium variæ conſuetudines?* 123.

Quæſt. V. *An, Peſte graſſante, Mortuorum cadavera diſcerpare liceat, atque comburere?* 127.

Quæſt.

Quæſt. VI. *An Calix ab Infidelibus prophanatus nova indigeat conſecratione?* 129.
Quæſt. VII. *An poſſit ſuſtineri Altare portatile, quo Miſſionarii utuntur, etſi anguſtiſſimum?* 131.
Quæſt. VIII. *An Infidelibus Sanctorum imagines tribui poſſint?* 132.
Quæſt. IX. *An liceat Miſsionariis Candelas ex adipe, aut purum Oleum ardens in Miſſæ Sacrificio adhibere?* 133.
Quæſt. X. *An Opifices Chriſtiani poſsint operam ſuam Infidelibus locare, atque ab ipſis compulſi diebus feſtis Sacrum nullatenus audire?* 134.
Quæſt. XI. *An Chriſtifidelis habens Famulos Infideles, aut Hæreticos poſſit eos die feſto operibus addicere, ut peccata præcaveantur?* 136.
Quæſt. XII. *An Miſſionarius Domos Infidelium benedicere valeat?* 137.
Quæſt. XIII. *An Miſſionariis Apoſtolicis Eccleſias novas, aut antiquas pollutas cum Cœmeterio illis annexo licitum ſit benedicere?* 138.
Quæſt. XIV. *An Schiſmaticus Orientalis vovens ingredi Religionem, & nubens, ſe ad Catholicam Fidem convertens egeat diſpenſatione, & debitum reddere, ac petere poſſit?* 139.
Quæſt. XV. *An liceat Patriarchæ Schiſmatici in Miſſa commemorationem habere?* 140.
Quæſt. XVI. *An liceat Catholicis jejunia, & Feſta juxta Kalendarium non reformatum, vivendo cum Schiſmaticis, ſervare?* 141.
Quæſt. XVII. *An nonnullis Orientalibus Nationibus permitti poſſit conſuetudo jurandi, quin ſatagant emendari?* 143.
Quæſt. XVIII. *An poſſit ſuſtineri Juramentum fide alterius innitens apud aliquas Nationes Orientales à longo tempore inductum?* 145.
Quæſt. XIX. *An aliquid pro Sacramentorum*

adminiſtratione titulo Eleemoſynæ accipi poſſit ; juxta orientalium morem ? 146.
Quæſt. XX. *An Catholicus poſſit deferre operimentum quoddam capitis* Tag *appellatum à Rege Perſidis in ſignum nobilitatis conceſſum ?* 149.
Quæſt. XXI. *An Miſſionarius declinandæ perſecutionis cauſa latitans in domo Idololatræ, nec Idola venerans, aut contemnens, ſit reus violatæ Religionis ?* 151.
Quæſt. XXII. *An Miſſionarius, ne ſe Gentilibus prodat, morti proximus poſſit ſe occultare, tametſi prævideat, Corpus ſuum Ritu ſuperſtitioſo Ethnicorum tumulatum iri ?* 152.
Quæſt. XXIII. *An Miſſionarius Regi Ethnico chariſſimus ad ejuſdem epulas ſuperſtitionibus plenas, atque ad Templum Idolorum die inaugurationis ſuæ ad Regnum annua recurrente, vocatus gratiâ honoris, eiſdem licitè poſſit intereſſe ?* 154.
Quæſt. XXIV. *An Catholici apud Indos herbas quaſdam determinatis temporibus colligentes, interim verò nonnullas Orationes recitantes; herbas verò ægrotis cum certo numero Crucium, ac precum pro ſanitate recuperanda applicantes, rei ſint ſuperſtitionis, vel ſaltem de vana obſervantia ſuſpecti ?* 156.
Quæſt. XXV. *An perſiſtens in Infidelitate, vel Hæreſi ex opinione minùs probabili, reus ſit peccatorum ex eadem procedentium, lapſuſque in cenſuras Bullæ Cœnæ abſolvi poſſit, & à quibus ?* 158.
Quæſt. XXVI. *An Latini apud Græcos commorantes, aut Græci apud Latinos, eorum teneantur reſpectivè Feſta ſervare ?* 165.
Quæſt. XXVII. *An Catholicus Latinus inter Orientales degens, ut ſumptibus parcat, Famulis*

mulis ſuis Ritu Orientali viventibus Carnes tempore ipſis vetito miniſtrans, & ipſi manducantes graviter delinquant? 167.
Quæſt. XXVIII. *An Miſſionarius Græcis Catholicis die Sabbati nolentibus jejunare, atque à Carnibus abſtinere poſſit Sacramenta Miniſtrare?* 171.
Quæſt. XXIX. *An Indi ad Jejunia, & Feſta ſervanda, Miſſionarii verò ad illa iiſdem indicanda teneantur?* 173.
Quæſt. XXX. *An Catholicus Miſſam diebus feſtivis in Templo Schiſmaticorum audiens, dum Sacerdote ex Orthodoxis caret, aut eorum Eccleſiâ, Præcepto ſatisfaciat?* 177.
Quæſt. XXXI. *An Famulus Catholicus Sacerdotis Schiſmatici Domini ſui Miſſæ deſerviens lethaliter delinquat?* 179.
Quæſt. XXXII. *An Catholicus teneatur Epiſcopo Schiſmatico in ejuſdem Diœceſi, in qua reperitur, decimas perſolvere?* 181.
Quæſt. XXXIII. *An Catholicus in locis Hæreticorum, aut Infidelium poſſit ad valetudinem reſtituendam Medicos Hæreticos, aut Infideles vocare?* 185.
Quæſt. XXXIV. *An Catholicus juspatronatum habens Epiſcopo Schiſmatico Schiſmaticum Sacerdotem poſſit præſentare?* 188.
Quæſt. XXXV. *An Miſſionarii nedum munus Apoſtolicum verum etiam Parochialia in Miſſionibus exercere poſſint?* 190.
Quæſt. XXXVI. *An validè ab Epiſcopo Græco Orthodoxo Latini circa jejunium, aut alias Eccleſiæ Leges diſpenſari queant, neceſſitate poſtulante?* 192.
Quæſt. XXXVII. *An Miſſionarii licitè Chirurgiam, & Medicinam exerceant; morteque Infirmi ſecuta, fiant irregulares?* ibid.

Quæſt. XXXVIII. *An Miſſionarius dum Miſſionem adit Facultatibus eidem conceſſis poſſit etiam in itinere uti?* 195.

CAPUT QUARTUM

De Juſtitia.

QUæſt. I. *An liceat Fidelibus bona Infidelium rapere, ad ſe trahere, vel alia ratione ſubripere?* 197.

Quæſt. II. *An Chriſtiani captivi Præfectis deſervientes poſſint eos fraudibus decipere, & aliquid pro laboribus extorquere?* 201.

Quæſt. III. *An Chriſtiani Præfecti captivorum poſſint in diſtributione laborum, & præmiorum alios aliis præferre, negligenteſque apud Dominos Infideles accuſare?* 202.

Quæſt. IV. *An Chriſtiani in Imperio Turcarum, & Maurorum degentes eorum Leges obſervare teneantur?* 204.

Quæſt. V. *An Chriſtifideles teneantur Tributa Principibus Infidelibus ſolvere?* 206.

Quæſt. VI. *An Chriſtiani Albanenſes Turcis contermini poſſint adversùs eos ſævire incurſionibus, iiſque etiam Chriſtianos Catholicos, aut Schiſmaticos illis commixtos vexare?* 208.

Quæſt. VII. *An Magnates Chriſtianorum poſſint pauperibus pueros, ac puellas auferre, Turcis tradendos pro vexatione redimenda?* 211.

Quæſt. VIII. *An liceat recurrere ad Judices Infideles, etiam erogatâ pecuniâ, aut ad Proceres pariter Infideles pro Juſtitia adversùs Chriſtianos obtinenda?* 212.

Quæſt. IX *An Puella rapta, aut homine occiſo poſſit Pagus, in quo erant, ulciſci injuriam adver-*

adverſùs Pagum, cujus Incolæ ſunt injuriæ illatores? 215.
Quæſt. X. *An ad ſatisfactionem raptæ Puellæ, aut hominis occiſi poſſit rapi Puella, vel Homo Pagi offendentis, & cuſtodiri uſque dum juſtitia miniſtretur?* 216.
Quæſt. XI. *An liceat prævenire necem inter Populos Albanenſes?* 217.
Quæſt. XII. *An pro damno à privatis Proceribus adverſùs Turcas, aut alios Chriſtianos illato poſſit totum Oppidum ad pœnæ ſolutionem compelli, ita ut etiam Innocentes ad ſtipem contribuendam adigantur?* 218.
Quæſt. XIII. *An ſuſtineri poſſint Albanenſium conſuetudines de damnis ob injurias mutuò inferendis?* 219.
Quæſt. XIV. *An liceat dare mutuo pecuniam, recipiendo decem pro centum; & vinum, & triticum emere viliſſimo pretio: ut tempore ſuo ſummo vendantur, maximè ſi à Venditoribus taxetur?* 223.
Quæſt. XV. *An redemptor pignoris de manibus Infidelium fructus accipere poſſit abſque onere reſtitutionis?* 227.
Quæſt. XVI. *An Contractus cenſuarius apud Orientales ſolitus, & in pignore tantùm, non verò in re fructifera, & immobili fundatus, ſit licitus?* 229.
Quæſt. XVII. *An Chriſtifideles ab Infidelibus capti, & in eorum ditionibus venditi poſſint à Chriſtianis emi, & iterum vendi?* 232.
Quæſt. XVIII. *An Chriſtifideles teneantur redimere eos, qui bello capti macello exponuntur, ut eorum carnibus aſſ:rati Populi veſcantur; Redemptos verò in ſervitutem vendere poſſint?* 234.
Quæſt. XIX. *An Mercatores Chriſtiani licitè poſ-*

poſſint emere, aliiſque vendere Barbarorum Filios, ac Filias ab ipſorum Parentibus, ut famis neceſſitati conſulant, publicæ mercaturæ expoſitos? 236.
Quæſt. XX. *An liceat apud Æthiopes pro furtis Patrum, vel ob alia ipſorum delicta Filios, ac Affines in ſervitutem redigere; Mercatoribus verò Chriſtianis Mercaturæ expoſitos emere?* 240.
Quæſt. XXI. *An à Mercatore Catholico poſsit emi Servus, quem conſtat pluries fuiſſe venditum?* 242.
Quæſt. XXII. *An Miſſionarius Principi Ethnico acceptiſſimus arcana ſibi ab eodem patefacta licitè poſſit reticere, etiamſi ex eorum revelatione ingens Chriſtianæ Reipublicæ utilitas reſultaret?* 244.
Quæſt. XXIII. *An Catholicus inter Infideles victitans pro machinatione adversùs Principem Ethnicum molita captus, ac jurejurando adactus teneatur, etiam cum periculo vitæ, aliorumque malorum, crimen fateri?* 244.
Quæſt. XXIV. *An Mercatores Europei licitè Orientalibus merces nullius pretii vendere poſsint, pretioſiſsimis ab iiſdem acceptis?* 247.

TRACTATUS XII.

De Dotibus ad Miſſionarios pertinentibus: deque ab ipſis ante, & poſt ingreſſum Miſſionis peragendis uſque ad finem.

CAPUT PRIMUM

De Dotibus Miſſionariorum.

Sectio I. *Qualis eſſe debeat Doctrina Miſsionariorum?* 250.

Se-

Sectio II. *Qua morum probitate opus ſit Miſſionarios fulgere?* 258.
Sectio III. *Quænam Prudentia ſit Apoſtolicis Miſſionariis neceſſaria?* 264.
Sectio IV. *Qua animi Firmitate Miſſionarii indigeant?* 267.
Sectio V. *Quomodo Miſſionarii tolerare debeant injurias, ac perſecutiones?* 268.
Sectio VI. *Quamnam Conſtantiam induere debeant Miſſionarii in laboribus ſuſtinendis?* 271.
Sectio VII. *An Miſſionarii, præter jam explicatas, alias Dotes habere debeant?* 273.

CAPUT SECUNDUM

De Præparatoriis ad Apoſtolicas Miſſiones.

SEctio I. *Quàm neceſſaria ſit Miſſionariis notitia Linguarum?* 277
Sectio II. *Qualem notitiam debeat Miſſionarius aquirere Miſſionis, vel Regni ipſi aſsignati?* 281.
Sectio III. *An oporteat Miſſionarium Apoſtolicum Orationi ſpeciali modo operam dare?* 287.
Sectio IV. *Utrum à Miſſionariis præmittendum ſit Jejunium pro digna præparatione Operis?* 292.
Sectio V. *Num Sacramentum Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ ſumptio ſit præparatio à Sacris Miſſionariis neceſſario præmittenda?* 294.

CAPUT TERTIUM

De iis, quæ in Miſſione ipſa peragenda ſunt.

SEctio I. *Quid poſt ingreſſum ad Miſſiones à Miniſtris Apoſtolicis faciendum?* 299.

Se-

Sectio II. *Quomodo cum Ethnicis agendum, Inſtructione, an Diſputatione?* 303.
Sectio III. *Quanam ratione cum Ethnicis diſputandum?* 306.
Sectio IV. *Proponuntur cæteri modi cum Ethnicis quibuſcumque diſputandi.* 318.
Sectio V. *Quonam pacto cum Hæreticis agendum?* 323.
Sectio VI. *Quanam ratione ſit cum Acatholicis in publica gerendum Diſputatione?* 330.
Sectio VII. *Quomodo debeat Miſſionarius Hæreticos, aut Infideles Catechizare?* 335.

CAPUT QUARTUM

De modo Miſſiones erectas conſervandi.

Sectio I. *Quomodo Miſsionarius omnem prorſus novitatem cavere debeat?* 346.
Sectio II. *Quomodo Catholica Doctrina in Miſſionibus ſit frequenter inculcanda?* 349.
Sectio III. *Alia pro Miſsionum conſervatione ex parte Neophitorum requiſita enumerantur?* 351.
Sectio Ultima. *De aliis ad Miſsiones conſervandas ex parte Miſsionariorum requiſitis.* 355.

IN-

INDEX

Nonnullarum Quæſtiuncularum, quæ in hac quarta Parte incidenter reſolutæ inveniuntur.

Prior numerus eſt Paginæ, ſecundus Marginalis.

DE FIDE, EJUSQUE CONFESSIONE.

AN Catholici licitè poſſint verrere pavimentum, purgare parietes, mundare Altaria, aperire, & claudere fores Templi Mahumeti, aut Idolis dicati? Pag. 17. n. 38.

An liceat Famulis Fidelibus accedere cum Dominis ſuis Ethnicis ad Templa Idolorum, & eiſdem deſervire? 26. 64.

An, Tyranno in ſpretum Religionis, aut cultum Idoli jubente comedi Idolothyta, poſſint à Chriſtiano comedi, urgente periculo vitæ? 28. 70.

An ſervus emptitius Fidelis nullo alio cibo, præter immolatitium, ſibi à Domino ſuo ex motivo avaritiæ porrecto, poſſit illo liberè veſci? Et quid dicendum de Servo voluntario? ibid. 71.

An Catholicus notus inter Infideles, notoque morbo gravatus poſſit libere veſci cibis vetitis ſibi neceſſariis abſque proteſtatione? 30. 76.

An Catholicus ignotus, nec interrogatus, ne ſe detegat cum diſcrimine graviſſimo, poſſit carnes edere diebus vetitis, ſi alio modo neceſſitati occurrere nequit? ibid. 78.

An

An liceàt Interrogato de Fide uti æquocatione? 48. 136.
An Miſſionariis liceat fugere, perſecutione imminente, aut ſæviente? 49. 138.
Quid facere debeat Miſſionarius, Gentilibus Chriſtum blaſphemantibus, ejuſque impotentiam objicientibus, eoquia non vident Miràcula, quæ petebant, à Miſſionario fieri? 61. 168.
Quomodo ſe gerere debeat Miſſionarius, ſi contingat Pſeudo-Doctores magicis cantionibus, ac falſis Miraculis Populum decipere? 62. 171.
An ſæviente perſecutione liceat Miſſionariis ſeipſos pecuniâ redimere, ne ad Tribunal trahantur pro Fide confitenda, ſi ìd minimè expedire putaverint? 72. 192.
Quid facere debeat Miſſionarius compulſus ad diſputandum de Fide cum Ethnicis poſt promiſſæ diſputationis calculum? 74. 197.

DE CHARITATE.

AN habens Feudum ab Infidelibus cum onere perſonali accedendi ad bellum, teneatur cum diſcrimine Feudum amittendi militiam recuſare, ſi bellum adverſus Chriſtianos geratur? 88. 237.
An Chriſtifideles non habentes unde ſe alant, poſſint militiæ Infidelium nomen dare, & ſe in albo militum deſcribendos curare? 89. 240.
An, comparente Domino, teneantur Captivi Chriſtiani reſtituere illi res, quas à Piratis pretio receperunt? 97. 259.
An Miſſionarius cum diſcrimine vitæ propriæ teneatur miniſtrare Infantibus, & Catechumenis

menis in extremis degentibus Sacramentum Baptiſmi? 101. 272.
Quid dicendum de Extrema Unctione, quidve de Euchariſtia? ibid. 273.
Uno Hæretico ex electione, altero ex educatione, ac nativitate æquali neceſſitate laborante, quinam ſit præſerendus, quoties utrique ſubveniri nequeat? 113. 302.
Judæo, Turca, ac Indico Idololatra ſpirituali auxilio indigentibus, ſi uni tantum ſubveniri liceat quiſnam ſit præferendus? ibid. 304.
An Amicus Infidelis, cui vitam debemus, prius juvari debeat, quam Fidelis inimicus, vel cui nihil debemus? 115. 309.

DE RELIGIONE.

AN Miſſionarii Apoſtolici teneantur Populos monere de prava conſuetudine ſervandi Feſta Infidelium, & de onere, quo Chriſtiani obſtringuntur Feſta, & cætera Eccleſiæ Præcepta exequendi, etiamſi eos prævideant minimè profuturos? 122. 330.
An poſſit tolerari abuſus Albanenſium in Feſtis ſervandis, quibus candelas in conviviis accendunt in honorem Sanctorum, & B.M.V. & crateres bibunt vini optimi? ibid. 332.
An Eccleſia polluatur inciſione Cadaverum, quam, peſte graſſante, ſolent facere Albanenſes; & Nationes finitimæ? 128. 345.
An Cuppa à Calice ſeparata Conſecrationem amittat? 131. 356.
An veſtes ſacræ ob fractionem, & diviſionem in partes diviſæ, ac reſarcitæ Benedictionem amittant? 132. 358.
An, urgente neceſſitate, liceat Miſſionariis Miſſæ Sacrificium abſque Veſtibus Sacris conficere? 133. 364.

An,

An, æquali apparente probabilitate circa veritatem Religionis, Eccleſiæ non Obſequentes ſint in conſcientia tuti, cum opinio tutior non ſemper ſit verior? 164. 445.

Quidnam eſt faciendum circa Feſtorum obſervantiam in Loco, ubi tam Latini, quàm Græci Parochiales habent Eccleſias? 167. 454.

An Famuli Latini teneantur Hero Græco obtemperare jejunia Eccleſiæ Orientalis præcipienti? 170. 464.

An Uxor Græca Catholica Viri Latini manentis inter Græcos valeat ſe Conjugi conformare, comedendo cibos non Quadrageſimales eo tempore, quo juxtà Ritum ſuum jejunare, vel à carnibus, ac lacticiniis abſtinere tenetur? ibid. 466.

An Mulier Latina nupta Orientali Catholico poſſit die Sabbati carnes citra peccatum edere? 172. 471.

Quid dicendum circa hoc de Advenis, & Forenſibus tranſeuntibus per Loca Græcorum? 173. 472.

Quid ſi Latini, & Græci in Locis, per quæ tranſeunt proprias Parochias habeant? ibid. 473.

In Caſu Jubilæi quomodo à Græcis jejunium ſervabitur, cum die Sabbati præſcribi ſit conſuetum? ibid. 474.

An liceat Miſſionariis Apoſtolicis ſacra facturis, Pueris Schiſmaticorum uti ad famulatum? 180. 491.

An liceat pro famulatu Altaris, ſaltem neceſſitate cogente, Cathecumenos admittere? ibid. 493.

An Miſſionarius Apoſtolicus Sacramenta Catholico miniſtrare debeat, qui ab Epiſcopo Schiſmatico publicè per edictum, eo quia

Deci-

Decimas non vult illi perſolvere, fuit excommunicatus? 184. 502.
An, ſi tempore Jejunii urgeat neceſſitas illud violandi, atteſtatio neceſſitatis à Medico ethnico, aut hæretico ſit petenda, atque admittenda? 186. 509.
An liceat Chriſtifidelibus vocare Nutrices infideles, aut hæreticas, quoties Catholicæ præſto eſſent? ibid. 511.
An liceat Chriſtifidelibus Pueros Infidelium, aut Hæreticorum nutriendos aſſumere? 187. 513.
An, ſi nullus alius ſuppeteret, Catholicus Juſpatronatum habens deberet potius Hæreticum, aut Schiſmaticum aliunde aptum, vel Catholicum indoctum, & vitiis omnibus infectum ad Beneficium præſentare? 189. 520.
An Regulares, & Clerici Seculares non Miſſionarii apud Ethnicos Chirurgiam, aut Medicinam exercentes cum inciſione, & aduſtione, Irregularitatem incurrant, morte minimè ſecuta? 194. 533.
An Irregularitas incurratur ob mortem ſecutam ex remedio appoſito; vel, ſi fiat cum inciſione, incurratur à ſocio incidentem adjuvante? 195. 535.
An Miſſionarius Facultatibus conſuetis munitus, poſſit illis uti in Miſſionibus non ſuis, dum ad ſuam pergit, neceſſitate gravi poſtulante? 196. 539.

DE JUSTITIA.

An vectigalia juſte ab Othomanico, vel Saraceno Principe impoſita fraudantes peccent, & ad reſtitutionem teneantur? 207. 576.
An adſit modus aliquis pauperibus Albanenſibus

bus inter Infideles verſantibus ſubveniendi, quin lucrum aliquod à Proceribus amittatur, & nihilominus nulla committatur uſura? 228. 642.
An Mercatores Chriſtiani, qui emerunt filios venditos a Parentibus propter famem, poſſint iterum illos venditioni exponere? 237. 676.
An extra caſum famis extremæ Filios vendere liceat? ibid. 673.

MAG 2005136

Digitized by Google